SAMMELSTELLE
des Landeskirchlichen Archivs Stuttgart

SACRA NATALITIA

GUILELMI

WÜRTTEMBERGIAE REGIS AUGUSTISSIMI CLEMENTISSIMI

ANTE DIEM V CALENDAS OCTOBRES MDCCCXLVII

CELEBRANDA INDICIT

GUIL. FRID. LUDOV. BÄUMLEIN,

SEMINARII REGII EVANGELICO-THEOLOGICI, QUOD MAULBRONNAE EST, EPHORUS.

Insunt:

I. Commentatio de compositione Iliadis et Odysseae.
II. Nachrichten über das Seminar zu Maulbronn.

EVANG. LANDESKIRCHE IN WÜRTTEMBERG
OBERKIRCHENRAT
A 24/Maul
-1843/47-
Präsenz

STUTTGARTIAE,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GUTTENBERGENSI.
MDCCCXLVII.

1847

In iis rebus, quae grammaticorum hominum, postquam aleam jecit F. A. Wolfius, plurimum exercuerunt ingenia, disquisitio fuit, quanam ratione, quo vel artificio, vel, ut quibusdam magis placebat, ingenii quodam impetu Homeri carmina composita essent. Meminimus post illa Prolegomena, [1]) dum pauci obloquerentur, pluribus in dies iisque doctissimis elegantissimisque viris (quorum in numero C. G. Heynius etiam ante Wolfium idem sensisse sibi visus est) eam sententiam probari, quae et litteris principio mandata esse carmina Homerica, et ab uno Homero unam Iliadem, unam Odysseam compositam esse negabat. Quid mirum? nova quaedam ex Wolfii libro his carminibus lux affulsit, qua multa superiori tempore secus intellecta rectius intelligerentur. Verior inde antiquissimae poësis graecae species animis obversabatur, ut jam non in secessu per doctam meditationem, uti Virgilii nostrorumque poëtarum, ita Homerica carmina conscripta esse, sed in concionibus divino quodam afflatu, simpliciorique artificio, si quidem artificium inerat, inventa atque pronunciata esse crederentur. Accessit, quod Wolfii singularis doctrina judiciique subtilitas et elegantia vel invitos in eandem sententiam abripiebat.

At quae jam obtinere apud plerosque videbatur sententia de compositione Homericorum carminum, quae quibusdam viris doctissimis ut C. Lachmanno etiamnunc quam maxime probatur, eam nuper retractarunt alii temperataque assensione paulum immutaverunt, ut G. Hermannus, [2]) G. Bernhardius, [3]) quibus ab uno Homero summa fabulae atque capita praecipua composita esse, cetera partim assumta videntur ex antiquioribus carminibus, partim addita ab Homeridarum schola, alii omnino reprobarunt, paucisque intermixtis partibus adulterinis pleraque omnia, quae nunc utroque carmine continentur, unius Homeri esse dixerunt, ad unum consilium composita, cui non ante extremas carminum partes poëta satisfecisset. Ita fere censuerunt G. Langius, [4]) L. G. Dissenius, [5]) Gr. Guil. Nitzschius, [6]) F. G. Welckerus, [7])

---

1) Prolegomena ad Homerum. Scripsit F. A. Wolfius. Halae 1795.
2) Opuscula V. p. 52—77. VI, p. 73—91.
3) Grundriss der griech. Literatur. II. Halle 1845.
4) Versuch, die poëtische Einheit der Iliade zu bestimmen. Darmstadt 1826. — Disquiss. Homericae P. I. Commentatio de consilio ac necessitate prooemii et priorum partium Odysseae Arg. 1828.
5) Kleine Schriften p. 330 sqq.
6) De historia Homeri Meletemata fasc. I. et II., inprimis fasc. II. praef. p. X sqq. c. V. p. 20 sqq. — Erklärende Anmerkungen zu Homer's Odyssee II. Praefatio. Verhandlungen der dritten Versammlung der Philologen etc. p. 52 sqq.
7) Der epische Cyclus oder die Homerischen Dichter. Bonn 1835. p. 122 sqq. 348. 371 sqq.

C. O. Müllerus, [1]) Ch. F. Bährius. [2]) Iniquius, quam par est, his diebus a L. Rossio [3]) vidimus Wolfium impugnari.

Ad eam, de qua diximus, virorum grammaticorum de Homero dissensionem, quum unam Iliadem, unam Odysseam ab uno Homero conditam alii negent, alii probent, alia accedit, qua ii ipsi dissentiunt, quos modo quasi vindices quosdam Homeri, qualem veteres crediderunt, honoris causa nominavi. Nam quod G. Guil. Nitzschius [4]) veri aliquam similitudinem habere modestius dixit, audacius L. Rossius [5]) affirmavit, conscripta ab ipso poëta carmina esse, id improbatur ab aliis, quibus in ea quidem re Wolfius satis fecisse videtur. — Itaque multum abest, ut haec causa diu in utramque partem disceptata omnium consensu ad liquidum perducta sit.

Ego si hoc libello rem tentavi, in qua viri ingeniosissimi versati sunt, non id quidem animo proposui, ut mea opera hanc rem conficerem, sed satis habui pauca attulisse, quae ad causam dijudicandam pertinerent.

Atque quam R. Woodius [6]) primus movit dubitationem de literarum apud Homerum usu, eam quidem Wolfium [7]) et Müllerum [8]) auxisse, luculenterque demonstrasse arbitror, in ipsis carminibus Homericis, in verborum formis luxuriose progerminantibus, varieque, prout versuum ratio postularet, mutatis, in syllabarum plurium contractione (synizesi), distractione unius, in ancipiti vocalium quantitate, quae omnia sermonem arguunt parum sibi constantem neque dum literarum usu stabilitum, cujus sermonis multiplex species, ipsa quoque paulatim commutata, a posteris accommodata esset ad rhythmicas leges, in rhythmorum denique quadam licentia atque debilitate satis firma argumenta inesse, quae nobis persuadere possint, alienum ab his carminibus fuisse literarum usum, quanquam etiam ante Homerum aliquam inter Graecos fuisse notitiam literarum a Phoenicibus communicatam equidem in animum inducere non potui ut negarem. Accedit quod, si scripta esse putemus Homerica carmina, licet Lycurgi aequalem poëtam fuisse censeamus, aliam necesse est nobis fingamus graecarum literarum historiam, quam qualem accepimus, prosaeque orationis scriptores aliquos non ita multo post Homerum exstitisse sumamus, aut miremur, quod in literarum tam crebro usu rerum memoria tam varia est et parum sibi constans, omnisque antiquarum rerum fides non in literis posita est, sed in fabulis. Est quoque, quod miremur, qui fieri potuerit, ut, qui etiam ante Lycurgum satis versati essent in literarum usu, adeo ut vel totos libros eosque amplissimos conficerent, post Lycurgum per trecentos et plures annos tam imperita manu, quae nullam aequalitatem literarum, nullam elegantiam affectaret, eos titulos inscriberent, qui in monumentis Theraeis, [9]) Melio, [10]) aliis nunc exstant, miremur denique, quod

---

1) Geschichte der griech. Literatur. Breslau 1841. I. p. 81 sqq.
2) Realencyclopädie der class. Alterthumswissensch. III. p. 1426.
3) Hellenica. Halle 1846. I, 1. Praefatio p. 1 sqq.
4) Melett. de hist. Hom. fasc. post. praef. p. VII sqq. Erklär. Anmerkungen zur Odyssee II. p. VII.
5) A. a. O. p. VI sqq.
6) Versuch über das Originalgenie des Homer, aus dem Englischen. Frankf. a. M. 1773. p. 273 sqq.
7) Prolegomena p. XL. sqq.
8) Geschichte der griech. Literatur I. p. 62 sqq.
9) Jo. Franzii Elementa epigraphices graecae. Berol. 1840. p. 51.
10) Ibid. p. 57 sqq. Boeckhii Corpus Inscr. N. 1. 3. 4 etc.

non ante Solonis aetatem antiquata est ratio *βουστροφηδὸν* scribendi, [1]) quae quanto impedimento sit ad scribendi facilitatem, quamque aliena ab ea exercitatione, qua in conscribendis libris opus est, nemo est, qui non videat. Quid? quod ipsa carmina Homerica, si literis ab Homero Homeridisve mandata fuissent, non eam consentaneum est fortunam experta esse, ut quasi disjecta membra multisque corrupta additamentis ad posteros traderentur.

Sed mitto eam quaestionem, de qua mihi in Woodii Wolfiique sententia acquiescendum persuasi. Alteram attingo, qua unumne carmen sit Ilias vel Odyssea, ab uno poëta compositum, disceptatur, an plura carmina, quae primo quum seorsum exstitissent, postea vel fortunae, vel rhapsodorum vel Pisistratidarum beneficio in ea corpora, quae nunc habemus, coagmentata sint.

Me quoque aliquando illa sententia tenuit, quae Wolfii auctoritate defenditur; sed quo accuratius in hanc rem inquirebam, eo magis eae me rationes moverunt, quibus nunc unius poëtae esse utrumque carmen, unoque consilio et fabula una contineri plerisque probatur. In qua sententia cur persisterem, et ipse novam mihi videbar causam invenisse, quam neglectam ab aliis non dubitavi hoc libello in publicum proponere.

Duplici ad Iliadem Odyssea ratione refertur, eadem de virtute, qualem res humanae desiderent, sententia, expressa in persona ingenioque dissimili.

Summae, quae reges nobilesque viros deceret, virtutis duplex veteres Graeci animis informaverant exemplum, utrumque virum fortitudine insignem, sed alterum simplicem, nihil simulantem neque dissimulantem, ingenuum, optima indole praeditum proque innata liberalitate honestissima quaeque appetentem, eundem gloriae avidissimum, aperte quibuscunque affectibus captus esset prae se ferentem, animo indulgentem (*θυμῷ εἴκοντα*), nihil sibi temperantem, conditionis humanae modestiaeque, quae hominem in rebus divinis humanisque deceret, oblitum, praeterque omnem aequitatem in jure vindicando pertinacem; alterum ut prudentia ita moderatione laudabilem, rationum artiumque, quas res postularet, peritum, consilii nunquam inopem (*πολυμήχανον, πολύμητιν*), animo nihil indulgentem, sed se iramque et cupiditatem pro tempore continentem, propositi invicta constantia per omnes fortunae vicissitudines tenacem, ad omnia audenda, sustinenda, suscipienda paratum (*πολύτλαντα*), eundem callidum, versutum (*πολύτροπον*) multiplicique ingenio omnia, sicuti res postularet, simulantem aut dissimulantem.

Alterius ingenii Achilles, alterius Ulysses exemplum est, versanturque in alterutro depingendo Ilias et Odyssea. Sed tantum abest, ut diversis sententiis Iliade alterum, alterum Odyssea comprobetur, ut de virtute, quae homine nobili maxime digna sit, maximeque idonea ad res, quas velit, gerendas, idem sentire videamus utrumque poëtam — si quidem, quae *τῶν χωριζόντων* sententia est, recte duos poëtas fuisse censemus. Frangitur propter impotentiam Achillis animus quamvis honestissimus; suae voluntati, suae irae, quanquam justa erat, nimis indulgere, nisi cum acerbissimo suo dolore, non licuit. Ulciscitur Achivorum clade injuriam ab Agamemnone acceptam, sed cum amicissimi viri jactura; explet animos, satiat odium, sed secus, quam ipse exoptaverat; deorum numen neque, quae pertinaciter secum statuerat, obtinere eum patitur, neque impetrare, quae ultra modum appetiverat. — Contra qui temperare sibi potest iramque atque affectus, licet conditio iniquissima sit, cohibere, qui multiplici usus ingenio ad fortunae

1) Franz, elem. epigr. p. 34.

varios casus prudenter se accommodat, virum constantem propositique cum animi moderatione tenacem tandem aliquando videmus diis adjuvantibus ad finem propositum pervenire.

Eandem igitur de rebus divinis humanisque sententiam, idem de virtute, quae hominem eumque summo loco constitutum maxime deceat, judicium quum habeamus in diversis ingeniis moribusque expressum, alterumque carmen ipsum summae virtutis, qualis poëtae praestare videtur, exemplum proponat, alterum contrarias virtutes propter vitia iis innata minus convenire humanae conditioni doceat, non est, quod quisquam alterum alterius ratione habita conditum esse dubitet, aut fortuito accidisse dicat, ut utrumque carmen contrariis exemplis idem probet. Neque magis communem hanc omnibus Graecis sententiam fuisse, aut saltem plurimis probatam recte quisquam dixerit. — Contrarias, ut natura ingeniumque quemque ducebat, ab antiquissimis inde temporibus Graecos videmus sententias sequi, quae virtus natura praestet plusque valeat, fortitudo an prudentia. Quas si quis accurate ponderare atque inter se conferre vellet, ne vitia quidem ei praetermittenda erant, quae cum utroque ingenio natura conjuncta essent. Fortem igitur animum consentaneum erat contemta prudentia ad vim esse promtissimum, neglectisque, quae infirmiore viro dignae viderentur, callidis artibus in ipsa manu forti omnia ponere, eundem fortitudine fretum nihil temperare cupiditatibus studiisque. Contra qui prudentia excelleret suique potens et continens esset, magisque prospiceret, ut quae vellet consequeretur, quam ut moribus constaret, eundem ipsa natura inducebat, ut, dum ad propositum perveniret, nihil admodum pensi haberet, artibusque, quae consilium juvarent, modo honestis, modo turpioribus uteretur, ut simularet alia, alia dissimularet. Itaque quum in Iliade unice laudentur fortitudo et prudentia, fortissimusque in utroque [1]) carmine Achilles, Ulysses prudentissimus praedicetur, facile inducimur, ut, quod Demodocus Od. VIII, 75 canit certamen inter Achillem Ulyssemque exortum, de harum virtutum praestantia fuisse credamus. [2]) Simile post Achillem mortuum inter Ajacem et Ulyssem certamen exstitit, cui quasi praeluserant luctando Iliad. XXIII, 708 sqq. In quo certamine quum Ulyssem vicisse constans fabula traderet, non defuere, qui hujus judicii iniquitatem accusarent: Pind. Nem. VII, 35. VIII, 40 sqq. Isthm. III, 56 sqq. Plato Apol. p. 41, b. Pausan. I, 35, 3 (ubi famam apud Aeolios fuisse Pausanias ait, Achillis arma post Ulyssis naufragium ad Ajacis sepulcrum undis delata esse). Anthol. graeca ed. Jacobs VII, 145—147. Asclepiadae, Antipatri Sidonii, Archiae epigrammata. Qui animi fortitudinem simplicitatemque maxime laudabant, eosdem necesse erat improbare Ulyssis ingenium. Argumento sunt praeter ea quae supra de Ajace apposui judicia et aliae multae veterum Graecorum sententiae et fabula illa antiquitus tradita de Sisypho vero patre Ulyssis, Soph. Phil. 417. Aj. 190 cum scholiis. Phil. 625. Eur. Iph. A. 524. 1362. Cycl. 104. Arist. Ach. 391. Suid. s. v. *Σισυφιδῶν γενεᾶς*,

1) Od. XI, 478. 482—486.

2) Athen. I. p. 17, e. *Οἱ παρ' Ὁμήρῳ δὲ ἀριστεῖς κοσμίως δειπνοῦσιν ἐν Ἀγαμέμνονος. εἰ δ' ἐν Ὀδυσσείᾳ φιλονεικοῦσιν Ἀχιλλεὺς καὶ Ὀδυσσεύς, καὶ Ἀγαμέμνων χαῖρε νόῳ, ἀλλ' ὠφέλιμοι αἱ φιλοτιμίαι, ζητούντων ἢ λόγῳ ἢ μάχῃ αἱρεθῆναι δεῖ τὸ Ἴλιον.* Schol. ad Od. VIII, 75. *τοῦ μὲν Ἀχιλλέως ἀνδρείαν ἐπαινοῦντος, τοῦ δὲ Ὀδυσσέως σύνεσιν.* Ad hoc certamen (*πρὸς τὸ ἐν Ὀδυσσείᾳ ζηλούμενον* — ita pro *ζητούμενον* legendum — *νεῖκος Ὀδυσσῆος καὶ Πηλείδεω Ἀχιλῆος*) Schol. Ven. ad Il. IX, 347. Achillis verba: *ἀλλ' Ὀδυσεῦ κ. τ. λ.* refert. Cfr. Welckeri de epico cyclo librum p. 288 sqq., qui ab Arctino Achillem, Ulyssem a Lesche electum putat, quem potissimum canerent.

τῆς τοῦ Ὀδυσσέως. εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν πανούργων καὶ κακοήθων· ἐκ γὰρ Σισύφου κατάγει τὸ γένος ὁ Ὀδυσσεύς. Eum nomen ipsum (a voce σοφός derivatum vi in forma reduplicata aucta) arguit callidissimum vaferrimumque fuisse, quale ab omnibus fere Graecis scriptoribus ingenium illi tribuitur. Il. VI, 153. ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν. Theogn. 701.

οὐδ' εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
πλείονα δ' εἰδείης Σισύφου Αἰολίδεω,
ὅστε καὶ ἐξ Ἀΐδεω πολυϊδρίῃσιν ἀνῆλθεν.

Ibid. 711. 12. Eur. Iph. A. 524. Arist. Ach. 391. — Quid fidei morumque integritati veteres tribuerint, quantopere eam astutiam damnaverint, quae aliena ab ingenuo animo fidem temporibus accommodaret, vel ex ea fabula intelligitur, qua Sisyphum vafri multiplicisque ingenii exemplar aeternis suppliciis vindicandum tradiderunt. Quumque qui prudentia valeret eaque ad res exsequendas praecipue uteretur, idem propensus esse videretur ad fidem fallendam, ipsum Ulyssis ingenium a compluribus ad exemplum Sisyphi conformatum dicebatur. De quo quid ingenui viri judicaverint, si pluribus, quam quae allata sunt, indiciis opus esset, intelligitur inprimis ex Philoctetae Neoptolemique apud Sophoclem judiciis, quanquam vitae institutam rationem his verbis (Phil. 96) Ulysses excusat:

καὐτὸς ὢν νέος ποτὲ
γλῶσσαν μὲν ἀργόν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν·
νῦν δ' εἰς ἔλεγχον ἐξιὼν ὁρῶ βροτοῖς
τὴν γλῶσσαν, οὐχὶ τἄργα, πάνθ' ἡγουμένην.

In Ajacem vero (1332 sqq.) honestum magnumque animum prodit. Cfr. praeterea Eur. Rhes. 488 sqq. 894. Troad. 282 sqq. Plato Apol. p. 41, c. Ceterum Achillem plurimum laudatum a Graecis summae virtutis ingenuique animi exemplum habitum esse, non est, quod demonstrem. Tantum igitur abest, ut quam supra virtutis, quae nobili ingenuoque viro conveniat, aestimationem in utroque carmine eandem fere proponi diximus, communis fuerit Graecorum omnium, ut plerique cum ipsis vitiis suis Achillem anteferrent atque adeo in hoc praedicando summam Iliadis positam esse putarent.

At, dixerit aliquis, ipsa de Achille Iliadeque Achillem celebrante plurimorum consensio nonne falsa esse convincit, quae de Iliade et Odyssea in praeferenda moderatione prudentiaque consentientibus dicta sunt? Verum aliqua ex parte eos vidisse, qui auctorem Iliadis in laudando Achille occupatum esse putant, non in mentem venit negare, sed eundem Achillem dico exemplum proponi, in quae vitia fataque vel optima indoles incurrat, si prudentia et moderatio absit. Quam sententiam ut ab omni dubitatione defendamus, opus est, ut paulo diligentius examinemus, qua ratione summa rerum, quae Iliade continetur, ad talem virtutis aestimationem, qualem in hoc carmine inesse censuimus, pertineat. In qua re exponenda quod ad eandem sententiam perducimur, quam Nitzschius cum philologis communicavit Gothae congressis, nonnihil facit, ut recte nobis sensisse videamur. Liceat igitur, etiamsi acta agere videar, quoniam ad id, quod proposui, penitus cognoscendum multum confert, quasi res mihi integra sit, quid in condenda Iliade poëta consilii secutus sit, qua arte singulas res ad illud persequendum composuerit, iterum enarrare.

Atque primum satis mirari non possum, quod etiam nostro tempore sunt, quibus in ipsis

rebus ad Trojam gestis rerumque memoria conservanda positum videtur consilium sive unius Iliadis sive plurium de rebus Iliacis carminum. Tempus utique fuit, quo vel belli quidam casus insigniores, vel praeclara facinora singula singulis carminibus, ut apud ceteras gentes, ita apud Graecos celebrarentur, sed fuisse illud tempus antequam Ilias conderetur, nemo jam neglecto, quo singulae partes continentur, artificio, in dubium debet vocare. Imo in utroque carmine id maxime agitur, ut e rebus gestis hominum nobilissimorum ingenia moresque diversi eluceant, earumque virtutum, quae summae videbantur heroicae aetati, exemplaria ante oculos ponantur. Quarum duo clarissima exempla rerum ante gestarum memoria Achillem atque Ulyssem poëtae celebrandos subministravit. Neque vero, id quod alicui in mentem veniat, quascunque illi res per vitae spatium praeclare gesserunt, canendas sibi poëta sumsit, sed uno potissimum tempore electo, quo maxime id quod illustraturus erat, viri ingenium conspicuum esset, ad unam fabulam omnia composuit. Jam si quidquid ad artificii laudem adspirat, id lege circumscribimus ea, ut a certa sententia originem ducat, ad eamque exponendam, ut quasi oculis eam cernere nobis videamur, singulae partes omnes referantur, ne ea quidem laus ab Iliade et Odyssea abjudicari potest. Animus quamvis ingenuus fortissimusque, si temperare sibi gloriaeque studium et iram cohibere nesciat, ad quos errores quos tristissimos casus abripiatur, quae poenae dandae sint occaecato cupidine obstinatoque adversus ceterorum prudentem admonitionem, Achillis exemplo in Iliade demonstratur. Cujus quidem ingenium ita depingitur, ut quicunque animo ingenuo, forti, simplici summam laudem tribuant, ii quam maxime Pelidae ingenua virtute capiantur. Sed poëta, quem verisimile est, Achillis laudem ab antiquioribus carminibus accepisse traditam, non celanda putat, quae in tali ingenio vitia inesse solent, indolemque ipsam et naturam quamvis optimam non sufficere ad rem ita, uti velimus, gerendam exsequendamque docet.

Itaque exorsus ab eorum ducum altercatione, quorum alter loco et imperio, alter indole et natura praestabat, injuriaque, qua Agamemnon Achillem lacessiverat, quam inde Achilles iram animo conceperit, quosque animos sumserit, ut adeo neglecta communi Graecorum causa cladem popularibus imprecaretur, carmine persequitur. Annuit Jupiter precibus, sed quum Thetidi gratificetur, suum de rebus Trojanis consilium peragit, I, 5. 524. II, 3 sqq. 419 sqq. VIII, 1—77. 469—477. XV, 57—77.[1]) XIX, 408 sqq. quod fatum Achilles explet cfr. I, 352. 416 cum XXII, 358. 365. — Gravissimo, quominus recta viderent, errore divinitus immisso (IX, 115 sqq. 255 sqq. 496—514. II, 5 sqq.) capti sunt Agamemno et Achilles. Itaque perversa uterque consilia sequitur. Alter post Achillis secessionem viribus exercitusque studiis non satis confisus, veritus ne minus promti ad pugnandum milites essent, fugae consilium simulat, cui, nisi Ulysses exsurrexisset plebem ad fugam propensam coërciturus, committebat se universus exercitus. Alter odium adversus Agamemnonem immodice fovens, ut etiam ceteris Graecis succenseret, ne tum quidem exorari potest, quum ille clade accepta fractus amentia quadam se ait eum virum contumeliose tractasse, in quo plurima spes victoriae Graecis posita esset, eamque puellam, quam per vim Achilli eripuerat, intactam integramque se redditurum multaque praeterea largissima satis facturum se irato pollicetur, denique quum nobilissimi Graecorum, ut ira deposita a Trojanis ipsos defenderet, iterum iterumque precantur. Ira Achillis, etiamsi usque ad id tempus justa alicui

1) Qui versus quum ab Aristophane, partim, a v. 64, a Zenodoto damnati sint, dubiae sunt auctoritatis.

videri posset (IX, 523) jam aequitatem modumque omnem excedit, mentemque insania captam arguit (XIV, 139 sqq.). Multa erant, quae commovere iratum debebant, Agamemnonis confessio promissioque, Graecorum res debilitatae precesque assiduae, prudentissimorum virorum, inprimis Phoenicis magistri admonitiones, qui Meleagri usus exemplo (IX, 496—605), ut ab ea pertinacia sibi caveret, quae implacabilis in amentiam verteret ipsi damnosam, graviter hortatus est. Ad ea obstinato animo quasi irridens arma non antea se capturum Achilles ait, quam Myrmidonum navibus Hector ignem injecisset (IX, 650 sqq. XVI, 61 sqq.). At alia, quam jactaverat, vi ad sumenda arma cogitur. Urgentur Graeci, muro expugnato ad naves pugna exoritur. In qua quum aliquamdiu ancipiti Marte pugnatum esset, postremo res Graecorum ad incitas redigitur, jamque in eo est, ut naves eorum incendantur. Neque vero in rebus paene desperatis Achilli, ut ipse Graecis auxilium ferat, Patroclus persuadere potest, qui nihil impetrat ab obstinatissimo viro suaeque gloriae nimis studioso, nisi ut sibi Graecis auxilio adesse permittat. Jam, quas ex Phoenicis monitu (IX, 510—12. cfr. XI, 763 sqq.) metuere debebat, poenae dandae sunt asperitatis. Quem servare potuit, si precibus ejus obsecutus ad profligandos Trojanos se accinxisset, eum quasi prodit cum copiis suis in hostes immissum, magisque etiam tum de sua gloria, quam de amici salute sollicitus (XVI, 83 — 100) praecipue id cavet, ne propulsato extremo periculo majorem etiam Patroclus gloriam affectando suae laudi aliquid detrahat. Itaque quum sibi unice prospiciat, caeso viro amicissimo, qui et ipse ultra quam fatum erat (XVI, 707. 8.) gloriam appetebat, poenas dat gravissimas. Jovis id numine evenisse declaratur (XV, 65) XVI, 250. 684 — 691. 707. 8. 844 — 46, neque Achilles ignorat, qui suo cum dolore voti se compotem factum esse intelligit (XVIII, 79 sqq.) sibique quam maxime succenset, quod amentia captus iraeque indulgens et Patroclum et ceteros amicos prodiderit, desidiaeque crimen sibi contraxerit (XVIII, 97 — 111). Itaque et injuriae sibi illatae et conditionis, qua arma se paraturum promiserat (IX, 650 sqq.), oblitus, prius etiam quam Agamemno multa data ei satis fecisset, ubi primum arma accepit a Vulcano fabricata, ipse in proelium ruit, animo etiam tunc luctu iraque exagitato neque de alia re cogitante, nisi ut Patrocli caedem ulcisceretur, quanquam fati nescius non erat, quod post Hectoris necem ipsum manebat. Eandem igitur quam in Agamemnonem antea, jam in Hectorem prae se fert intemperantiam, animique odio usque ad immanitatem exacerbati manifesta indicia ea verba sunt, quibus Hectorem, ut mortuum se ne foedaret corpusque accepto pretio Trojanis redderet, petentem aspernatus est (XXII, 254 — 267. 337 — 354).

De reliquis ambigitur. Nam quum in extrema rhapsodia Iliadis nonnulla sint, quae suspicionem posterioris aetatis moveant, ea nobis quaestio exoritur, utrum ludos illos, qui de funere Patrocli instituuntur, exitum fabulae satis idoneum habeamus, an carere ad hanc absolvendam extrema rhapsodia non possimus. Equidem ita censeo, posse Iliadem, etiamsi Achillem Priamus non convenisset, absolutam putari, quum in ludis animi et Achillis et audientium componantur. Quin etiam dubitare licet, num qui in illis certaminibus enarrandis tanta cum diligentia commoretur, alium quam ipsos ludos exitum carminis excogitaverit. Qui ludi eo consilio accuratius expositi esse videntur, quo magis et victoria celebraretur de Hectore reportata, et Achillis animus caeso Hectore sedatus tranquillusque videretur, quippe qui jam Patroclo supremis honoribus afficiendo amori, quo illum amplexus erat, satis faceret, lenioribusque moeroris et desiderii affectibus commoveretur, ut etiam, quae alio tempore iram movissent, aequiore animo ferret (XXIII,

492 sqq. 555) et audientium denique animi relaxarentur, quum et ipsi quasi adessent certaminibus, spectaculo Graecis gratissimo. — Qua ratione quum adduci possimus, ut verae Iliadis exitum victôriam Achillis et quae inde edita sint, certamina fuisse credamus, dubios nos reddit, quod quae vv. 184—191. perhibentur, non videntur alio consilio dici, nisi ut spem certiorem excitent, fore ut Hectoris corpus integrum atque inviolatum Trojanis sepeliendum reddatur. Quos versus ut cum extrema rhapsodia spurios habeamus (facile enim deleri possunt), eam ob causam insertos, ut aptius cum superioribus extrema connecterentur, tamen tantis ubique laudibus Hectorem Homerus affecit, ita fortitudinem ejus atque humanitatem praedicavit, et quum ceteris diis, qui quidem Trojanis bene vellent, tum Jovi gratissimum esse dixit, ut verisimile non sit, subsistere Homerum voluisse in Hectore foedando supremisque honoribus privando. Accedit, quod, extremam rhapsodiam si post absolutam Iliadem additam putemus, id quidem confitendum nobis erit, exitum, qui magis congruat cum ea sententia, qua summa Iliadis continetur, inveniri vix posse, ut miraremur certe, si posteriori poëtae contigisset, ut et mentem Homeri penitus assequeretur, et artem superaret aptiore quam antea exitu invento. Quod quam verum sit, nunc videamus argumento extremae rhapsodiae exposito. Achilles, quae secum statuerat, ut avibus canibusque dilaniandum permitteret Hectoris corpus, neque precibus ullis neque pretio commoveretur, ut Trojanis redderet, ea rata facere non potest. Iterum Jovis numine hominis pertinacia frangitur, consilium irritum redditur (XXIV, 113 — 119). Recte Achilli ex immani crudelitate deorum vindictam Hector auguratus erat (XXII, 358 — 360). Nefas esse censent quum ceteri dii, nisi qui Trojanis infestiores essent, tum maxime Jupiter, implacabili in hostem ira furere mortuumque propinquis negare. Itaque deorum jubetur vindictam veritus Hectoris a suis redimendi potestatem facere (XXIV, 40—54. 113—116). Cui imperio quum Achilles pareat, animus jam ad clementiam se componit, pacatique ut Achillis ita audientium animi in humanissimo colloquio cum Priamo habito acquiescunt.

Vidimus argumentum fabulae necessitate quadam ita produci, ut et continuae omnes partes sint invicemque sese excipiant, et in superiori aliqua, quam in extremis partibus subsistere nequeamus. Neque enim ipsam iram omissis iis, quae inde consecuta essent, celebrare idonea materia, imo ne fas quidem poëtae esse videbatur, neque Patroclo caeso finem carmini facere poterat, quippe in qua re nihil inesset, quod ad relaxandam animorum contentionem pertineret. Nam Achillem quidem ad novam iram novosque animos eo casu excitari necesse erat, neque, priusquam satisfecisset quodammodo irae atque luctui, animo in amore, odio, ira, moerore nimio conveniebat ad justum modum componi. Ineptum quoque erat, viri fortissimi desidiam enarrare, fortitudinem interrupto fabulae filo tacere.

De argumento fabulae si recte disputavimus, neque, quin una eaque, id quod Nitzschius monuit, tragica sententia universae Iliadi subsit, quisquam dubitabit, et facile, si animum advertere velint, omnes intelligent, ab eadem Iliadem qua Odysseam virtutis humanae aestimatione proficisci, eandem laudare moderationem, temperantiam, prudentiam, quae ut diis maxime comprobetur, ita ad consilium exsequendum plurimum valeat. Ipsam indolem quamvis optimam naturamque simplicem et artium omnium ignaram, quum eadem prona sit ad indulgendum animo, sufficere ad res ita ut aliquis velit gerendas Ilias negat.

Hac sententia in Achillis ingenio expressa quum summa Iliadis contineatur, id egit poëta,

ut et belli contra Trojanos gesti quaedam imago et ceterorum ducum laus immisceretur. Quae ut operi suo intexeret, et carmina, ut credibile est, poëtam moverunt ante divulgata, et ipsa res admonuit, quum ad artificium simul et consilium carminis accommodatum esset episodiis argumentum fabulae distinguere, quamque plurimis Graecorum gentibus immixta majorum laude placere. Itaque quas res quosve casus sponte aliquis conjiciat in bellum Trojanum incidisse, ea in id tempus inserenda putavit, quo fabula Iliadis transigitur. In quibus quum nonnulla sint, quae ipso belli initio accidisse verisimile sit, habet poëta, quo excusetur. Recte in praefatione posterioris Meletematum fasciculi p. XVII Nitzschius haec disputat: „Si belli statum quaeris, omnino ante secessionem Achillis ad ipsam Trojam in acie nondum pugnatum erat, sed moenibus se tenuerant Trojani. A quo statu tempus irae processisse notum erat Homeri auditoribus ex priorum carminibus, admonebat etiam rhapsodia prima praedae ex vicinis oppidis reportatae commemoratione (125) atque eo, quod ne peste quidem Graecos affligente Trojani quidquam ausi essent, denique nos docemur *E*, 788—791. Itaque Graeci palantes tantum passim singulos ceperant. Conciret igitur ad bellum utrumque exercitum Jupiter necesse erat, ut promissum exsequeretur.“ Pag. XVIII: „Diu sederant Graeci aut palati per viciniam ex oppidis aliis praedas egerant, majus bellum, quo ipsa Troja peteretur, nunc denique instabat, quum dissidium incidit, quod Achillem in otium redegit.“ Ne igitur mireris, quod Nestor II, 362—368 Agamemnonem ita instruere exercitum jubet, ut gentium singularum singulae manus sint, neve, quod tum primum Priamo spectanti Graecorum duces Helena monstrat, tum primum certamen singulare eo pacto initur, ut bellum alterius victoria dirimatur, neve, quod fossa jam et vallo, id quod antea neglexerant, Graeci se defendunt. Quae res, ut ad belli totius imaginem variamque speciem exprimendam pertinent, ita, si quidem eo demum tempore, a quo Ilias initium capit, ad ipsam Trojam oppugnandam accesserant, Trojani autem, antequam Achilles otio se daret, non ausi erant, e moenibus egredi, non contra veras rationes fictae a poëta videntur. Ne illud quidem magnopere me movet, quod, quasi oblitus Jupiter sit, quid Thetidi pro filio supplicanti promisisset, primo die fere Graecorum victoria est. Rectiore utique via ad finem propositum tendere poëtae licuit, si, ubi primum a Jove Thetis, quod petierat, impetravit, Hectorem in Achivos immisisset, itaque fortuna nunquam ancipiti Graecorum cladem auxisset, ut vel in secunda rhapsodia ad Achillis opem implorandam nuncios mittendos decernerent. Haberemus Iliadem multo breviorem ad eamque normam, quam quidam desiderant, compositam. Aliam viam Homerus ingressus est, quae simul ad Jovis ingenium accommodata esset, non ita impigre rem gerentis, quam promisit, et carmine dignior esset Graecorum oblectationi destinato. An plus valuisset ad animos eorum capiendos, si ab Achivorum fuga cladeque carmen incepisset, omissisque illis ἀριστείαις in Achillis laude celebranda unice occupatus fuisset? Neque audientes, cujuscunque gentis erant, tale artificium allicere potuit, quale ab initio perspectum haberent, neque ita praeter Achillis gloriam negligenda erat ceterorum laus. Quid? quod ne eo quidem tempore, quo victoriam Jupiter Trojanis dederat, omni sive virtute bellica, sive fortuna secunda Graeci destituti sunt. Imo id egit Homerus, ut quicunque proceres essent, suo aliquo loco laudarentur. Quae laudes et ἀριστεῖαι quum per plures rhapsodias easque inprimis disponendae essent, in quibus Achilles otiosus esset, ne hujus gloriae aliorum res gestae officerent, quum praesertim difficilius esset duorum aut plurium laudes ita consociare, ut nullius obscuraretur gloria, non potuit non quorundam ἀριστείας in

ipso carminis initio disponere. Et primo quidem loco, si ullus ei in Iliade locus dandus erat, Menelai et Paridis singulare certamen foedusque, quo Achivi et Trojani bellum componere statuerant, ponere debuit, nisi quis in comprimendo tumultu propter Agamemnonis fraudem exorto, Thersiteque castigando et patriae pacisque desiderio immaturo coërcendo Ulyssis aliquam praecipuam laudem agnoscat (II, 166—332). Primum igitur Menelai virtus praedicatur III, 15—37, 340—380, quae etiam XIII, 581—642 atque in defendendo Patrocli corpore XVII inprimis conspicitur. Diomedis paene divinam virtutem quinta rhapsodia celebrat, capti quoque Dolonis (X) illi praecipue laus debetur. Ajacis Telamonii fortitudo et in pugna singulari, quam cum Hectore iniit (VII, 179—312), et quum apud vallum (XII, 364 sqq.) navesque pugnaretur, in qua pugna unus omnium Trojanorum impetum sustinebat, prae ceteris conspicua fuit (XIII, XIV, 402—522. XV, 415—746). Agamemnonis ἀριστεία quod in id maxime tempus incidit (XI), quo repudiatis ab Achille gratiae reconciliandae honestissimis conditionibus animos Atridarum maxima sollicitudo tenebat, quaenam belli fortuna futura esset, haud scio an consulto hoc sciteque factum sit, quo contemta clarissimi imperatoris auctoritas restitueretur. Regiam enim auctoritatem, quae summa penes Agamemnonem erat, tueri atque colere ut Jovis intererat, patroni potestatis regiae (XI, 186—194) ita poëtam decebat, qui et optimum censeret regium imperium (II, 204 sqq.) et illorum virtuti celebrandae omnem operam navaret. Sunt quoque Idomenei aurigaeque Merionae res quaedam fortiter gestae (XIII, 210—518), sunt Teucri et Ajacis Oilei, qui Telamonio Ajaci quum aliis temporibus (VIII, 266—324) tum in vallo navibusque defendendis socii adjuncti sunt. Nestoris, quum infirmior propter aetatem esset, quam ut manu res gereret, identidem sapientiae consiliique eduntur exempla. Unus Ulysses est, quem miremur, quum saepius in primis laudetur, nusquam tamen bellica laude ita ut ceteros principes conspicuum esse. Est quidem, ubi Diomedis fortitudini socius additur, ut in Dolonea et post Agamemnonis ἀριστείαν (XI, 312—400), ex quo proelio quum Diomedes vulneratus discessisset, solus Ulysses relictus est (407—488). Sed nihil videmus, quod ceterorum principum virtutem aequet, summoque duce satis dignum sit. In Dolonea quae manu gerenda sunt, a Diomede (366—381, 446, 481—496), quae consilio et dolis, ab Ulysse suscipiuntur (341—348. 381—445). Quod si quis consideraverit, aliorumque facinorum cur socios exhibeant Graecorum fabulae Diomedem et Ulyssem quaesiverit (cfr. Soph. Phil. 570. Virg. Aen. II, 163 sqq.), in eam opinionem adduci potest, ut ad fortitudinem si socia abhibeatur prudentia, optime res geri eas fabulas docere putet. Itaque quas virtutes aemulas facit Achillis aut Ajacis cum Ulysse certamen, eae ex alia veterum sententia necessitudine quadam conjunctae putabantur. Sed mirum hoc mihi videtur, quod Ulyssi, cujus etiam in Iliade plurimum celebratur virtus, non major aliqua, ut ceteris summis ducibus, carminis pars concessa est, in qua unus omnium conspicuus sit. Cujus rei eam aptissimam rationem reddere nobis videmur, quod Ulyssem in alio fabularum carminumque corpore primas partes egisse censemus, ne dicam eundem, qui Iliadis auctor est, poëtam, quo tempore hanc ederet, de Ulysse suo aliquando carmine celebrando cogitasse, eique reservasse pleniores laudes.

Fortitudinem indolemque ingenuam, nisi aliae virtutes accesserint, satis valere ad consilium propositum exsequendum quum Ilias negaverit, Odyssea quantum quis ratione, consilio, moderatione, constantia possit, Graecos docendos suscepit. Ejus virtutis praeclarum exemplum Ulysses

est. Non desideratur quidem in illo summa fortitudo, [1]) qua si caruisset, idoneus omnino non erat, cui in heroico carmine primae partes darentur. Sed non tam fortitudo, quam major quaedam virtus est, qua post multos labores exactos id assequitur, quod exoptaverat, animoque proposuerat.

1) Quod Geppertus in libro: Ueber den Ursprung der Homerischen Gesänge. Leipz. 1840. I. p. 293 sqq. multum differre ait Ulyssis ingenium, quale in Iliade, ab eo, quod in Odyssea depingatur, iniquius de Odyssea judicatum est. „Während er in der Iliade ein Krieger ohne Furcht und Tadel, ein kluger Redner und tapferer Streiter ist, so sehen wir ihn in der Odyssee vielmehr als das Muster eines erfahrenen Weltmanns, der alle Mittel, List und Betrug nicht ausgenommen, eher versucht, als dass er es zu der zweifelhaften Entscheidung der Waffen kommen lässt. Die Uebermacht der feindlichen Stärke, welche dort für ihn eine Stählung seines Muthes ist, wird in der Odyssee in der Regel das gewisse Zeichen zur Flucht. Er theilt in diesem Puncte ganz die Schwäche des Geschlechtes, welches zu der Zeit, wo die Odyssee spielt, mit geringerer Kraft, aber mit grösserer Klugheit im Frieden seinen Privatinteressen nachgieng, während in der Iliade eine nationale und allgemeine Unternehmung die Kräfte, die zum Kampfe erforderlich waren, ins Riesenmässige steigerte. Von diesem Uebermaass findet man keine Spur mehr.“ Haec ut vera esse credamus, quid, quaeso, poëtam commovere potuit, ut in tali viro laudando operam locaret? Num forte, quum illa scriberet, Geppertus oblitus erat, quas Odyssea exponit res ab Ulysse gestas? Multitudini si eum cedere dicit, satis illum a tali opprobrio defendere poterat et proelium cum Ciconibus commissum (IX, 56 sqq.) et atrocissima illa pugna, qua paucis cum sociis procorum multitudinem caedit (XXII). Licet enim numerus procorum XVI, 245 sqq. suppositicius sit, satis tamen multos fuisse constat, ut non habeat, cur fortitudine Ulyssem caruisse dicat. Mitto quae alia fortissimi animi specimina edidit. Unum est, quod Ulyssi exprobret, fugam, qua socios Laestrygonibus prodiderit. Sed rerum quae tum fuerit conditio, qui cognoscere velit, excusabit Ulyssem, quod desperata sociorum salute suae consuluit. — Magis etiam miramur, quod virium quaedam imbecillitas, quae posterioris generis propria fuerit, Ulyssi crimini datur. Tantum enim abest, ut ille, quem fractum putes multis laboribus, eorum, qui in Iliade excellunt, virorum virtute careat (cfr. VIII, 186—192. 239—40. XXI, 144—187. 245—255. 404—409), ut virium robur supra naturae humanae modum auctum videatur (V, 278. 388 sq.) Ne ea quidem recte se habent, quibus Geppertus, quae ante dixerat, retractat (p. 298): „Wenn wir oben sahen, dass dem Helden jene Ausdauer im Kampfe und die Aufopferung persönlicher Rücksichten fehlte, welche ihn in der Iliade auszeichnet, so wollen wir ihn damit keineswegs der Feigheit beschuldigen. Was wir ihm absprechen, ist vielmehr nur der Heldenmuth. Denn allein die Uebermacht hatte für ihn jene erschreckende Gewalt, und wo er mit Klugheit und Tapferkeit im Verein durchzudringen meinte, da sehen wir ihn keinen Augenblick zögern.“ Dici non potest, quantum haec a vero aberrent. Intrepidae constantiae, quae etiam atrocissima pericula sustineat, atque adeo subeat, si quisquam, Ulysses exemplum est, quem Odyssea oculis nostris proponit. Parum intellexisse videtur Geppertus, quid sibi vellet illud: πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς, quod in Odyssea saepius usurpatum videmus. Nam in describendo Ulyssis ingenio p. 296 his verbis utitur: „Diese gottergebene Ruhe in seinem Herzen, die ihn selbst in den Augenblicken der Verzweiflung, wo ihn der Gedanke ergreift, sich gleich in das Meer zu stürzen, oder auf sonstige Weise einer so trübseligen Existenz ein Ende zu machen, doch immer wieder dahin zurückbringt, dass er lieber ausharren wollte und dulden bis an sein Ziel, dieser Gleichmuth, der trotz aller Thränen und alles Kummers doch auf die Handlungsweise des göttlichen Dulders keinen Einfluss übt, sondern ihn Alles vollbringen heisst, was sein hartes Geschick von ihm fordert, diess ist es, was seinem Charakter so viel Würde verschafft.“ Ea virtus quoniam non cadat in Ulyssem, qualem Ilias exhibeat, levibus, ut solet, causis adducitur, ut eos locos Iliadis Homero abjudicet, qui illud πολύτλας δῖος Ulyssis nomini appositum habent (p. 193). At τλῆναι quum non simpliciter passivam, ut ita dicam, virtutem patientiamque eam significet, quae aequo animo patitur, quidquid sors tulit, quum etiam ejus virtutis, quae quam maxime ad agendum promta est, audaciae notio voci subsit, πολύτλας potius is est, qui plurimos labores vel sustinuit, vel ultro suscepit, qui adeo paratus est ad omnia subeunda. Nihil magis alienum ab Ulyssis ingenio, quam illa Christianis Germanisque plurimum laudata virtus, quae interpretatione: „göttlicher, herrlicher Dulder“ significari videtur. At venia danda viris doctis, quod, qua ipsi conditione sunt, de alia patientia non cogitaverunt.

Imago est ad veritatem expressa, qua Ulyssis ingenium in Odyssea adumbratur. Miscentur cum virtutibus, quibus excellit, cognata vitia, sed ita fere temperantur, ut nihil ex sententia poëtae temporumque rationibus habeant, quod vituperetur. Prudentiae, quae in illo eximia est, modo honestior species, modo minus honesta. Nunquam, ut qui callidissimus sit, idoneo consilio caret, ne in difficillimis quidem rebus, qua se potissimum ratione expediat, anceps haeret. Bonis an malis artibus utatur, dum in rem sint, juxta aestimat, neque dubitat omnia vel simulare vel dissimulare. Quibus artibus quod aliquando ad ipsum Palladis numen, quod callidissimo viro propitium maxime patrocinatur, decipiendum se parat, quippe, quae sit, ignorans, admodum festivum est risumque aeque atque comprobationem deae movet (XIII. 256—290). Quam ob causam idem *πολύμητις, ποικιλομήτης, πολυμήχανος, πολύτροπος, κερδαλέος, κακοῖσι δόλοισι κεκασμένος, κερδαλεόφρων, ἐπίκλοπος, δόλων ἄτος, εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά* (Od. XIII, 291—299. Iliad. IV, 339; XI, 430; III, 200—202) appellatur. Sed prudentis viri quum sit circumspicere, quid temporibus conveniat, eundem consentaneum est animo nihil indulgere, affectus pro temporum ratione continere, sibimet temperare. Eam moderationem, qua injurias fert illatas temporibusque cedit, non in animi quadam aequitate clementiaque, sed partim in prudentia, partim in verecundia deorum positam fuisse locis XXII, 312—329 et 474—477 cum 407—413 collatis intelligemus. Sed illa animi fortitudo, qua vel vehementissimos affectus cohibet seque, ut firmiter injurias resque adversas sustineat, cohortatur V, 222—224

τλήσομαι, ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν·
ἤδη γὰρ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα
κύμασι καὶ πολέμῳ· μέτα καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.

aut XX, 18: *τετλάθι δή, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.*

eadem constantiae causa est. Nihil est, quod magis in Ulysse admiremur. Animo in unam rem intento summo opere ut in patriam ad suos (V, 210) rediret, annisus est. Neque voluptatum ullis illecebris, neque terriculis ullis laborum adduci unquam potuit, ut patriae propositique oblivisceretur. Vere igitur id consilii habuisse dicimus sive Homerum sive quis alius Odysseam condidit, ut illam animi magni constantiam praedicaret, quae nullis fracta fortunae casibus nullis perturbata mentis affectibus, quoniam cupiditatibus imperaret, simul fortitudinis moderationisque laudem complecteretur.

Vide jam, quam sint accommodata omnia ad hoc ingenium illustrandum, eamque sententiam explicandam, in qua supra totum carmen versari diximus. Hujus constantiae ut eximium exemplum exstaret, animusque varia tentatus fortuna nulli impar videretur, Ulyssem necesse fuit fortunae vicissitudines quam plurimas experiri variisque casibus terra marique agitari. Erat *πολύτροπος, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω· πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.* Itaque nulla humanae vitae conditio est, quam inexpertam reliquerit. Quidquid illecebrarum erat, quibus vel sensus hominum demulceri vel ingenia etiam prudentissimorum virorum teneri possent, iis omnibus constantia Ulyssis tentata est. Lotophagos ut taceam, qui victus dulcedine socios Ulyssis ceperunt, ut, nisi Ulysses invitos abduceret, patriae reditusque oblivisceretur, delicatiore eos victu Circe retinebat; apud Phaeacas conditio Ulyssi, si maneret, oblata est haud spernenda (cfr. VII, 311—315 cum VI, 27 sqq. 57—67. 244 sq. 274—284); Calypso vel immortalitatis perpetuaeque juventutis, si sibi obsequeretur, praemia ostentabat;

Sirenes denique cantu blandissimaque promissione, omnium se rerum, quae usquam terrarum fierent, inprimis Trojanarum gnaras, quidquid cognitum haberent, cum ipso communicaturas, vocibus ita ad hominem compositis pelliciebant, ut nisi antea praecavisset, vix resisteret. Quid reliquum erat, quod animum voluptatum blandimentis irretire, delenire domus, uxoris, suorum desiderium, a proposito virum etiam tenaciorem consilii avocare posset? Ille praeter patriam, uxorem, suos omnia neglexit. — Idem quantos labores, quanta pericula subiit, ad quas personas suscipiendas se demisit, ut patriam domumque recuperaret! Quidquid terrorum erat in rerum natura, rebusque humanis, ille exhausit. Ne in minoribus haeream, incidit in eos, quibus jus fasque nullum erat, quumque Polyphemi captivus factus esset, qui et Neptuno patre confidebat et vi valebat immani, ut callido consilio ita fortitudine monstrum humanum vicit. Alia ei pericula obeunda erant, quo tempore, socii quum nefandi facinoris poenas morte dedissent, naufragio facto ipse trabe insidens per mare ferebatur nonoque demum die elapso ad insulam appulsus est ab hominum commercio procul disjunctam. Qua insula post septimum annum relicta rati festinanter fabricata solus per duodeviginti dies navigavit, tum tempestate a Neptuno excitata iterum naufragus factus haustusque gurgite, quum e fluctibus aegre emersisset, rati primo insidens huc illuc jactabatur, deinde marinae cujusdam nymphae praesenti auxilio adjutus relicta rati undis quum se commisisset, duos continuos dies duasque noctes continuas natando exhaustis, id quod pridem aequum erat, viribus ad Phaeacum insulam defertur, ad quam si pervenisset, fatum ei erat, certum jam fore reditum in patriam. Qui labores ut plerique invito suscipiendi erant, quum ipsa necessitas improviso eum opprimeret, Scyllam Charybdimque atque adeo Orcum, ceteris inaccessum, quo nihil terribilius homines noverant, sponte subiit, quum omissis, quae patriam repetentem manerent, periculis apud Circen manere liceret. Non fortuito equidem accidisse, neque levia quaedam carminis ornamenta quaesivisse poëtam puto, quod, quaecunque mente fingi possunt pericula, iis fere omnibus Ulysses perfungitur. Et pericula laboresque, quibus diu multumque vexatus est, et illae vel securae delicataeque vitae vel doctrinae illecebrae ad tentandam spectandamque constantiam pertinebant. Cujus, dum fortuna ventisque agitatur adversis, unum relinquitur specimen, in quo maxime animi fortitudo et constantia conspicitur. Ventis, quorum benigne potestatem ei Aeolus fecerat, usus secundis in conspectum patriae pervenerat, neque laborum periculorumque quidquam reliquum videbatur, quum fato, quod reditum etiam tum negabat, quasi irridente eorum desiderio patriae, decepti et Ulysses et socii ab ipsa patria avulsi sunt. Tanta tamque subita fortunae commutatio quum cujusvis animum frangere posset, ipseque in eo esset, ut spe abjecta vitae in mare prosiliens finem faceret, animo confirmato fortunae ludibria sustinuit (X, 49—53):

αὐτὰρ ἐγωγε
ἐγρόμενος κατὰ θυμὸν ἀμύμονα μερμήριξα,
ἦὲ πεσὼν ἐκ νηὸς ἀποφθίμην ἐνὶ πόντῳ,
ἦ ἀκέων τλαίην καὶ ἔτι ζωοῖσι μετείην·
ἀλλ' ἔτλην καὶ ἔμεινα.

Redux in patriam quanta constantia, fortitudine, moderatione fuerit, multis in rebus cernitur. Regia dignitate quum esset, suorum ut fidem exploraret hostesque falleret, eo descendit, ut mendici personam omnium contemtissimam inter eos indueret, quibus imperare debebat. Qua semel suscepta ita sibi constabat, ut servi improbi procorumque injurias et ludibria, quamvis

intolerabilia essent, ferenda putaret. Constantiae denique, qua omnes affectus animi moderabatur, erat, quod non statim, ut desiderio tandem aliquando satisfaceret, neque Telemacho filio, neque uxori, quis esset, aperuit. Nam quod in simplex ingenium cadebat, candide confidere, nihil suspicionis, nihil tecti simulative in pectore fovere, id prudentem cautumque virum minus decebat, qui hominum mores fidemque, quam subito mutarentur, novisset. Ceterum insidiae Agamemnoni ab uxore paratae, quarum apud inferos certior factus erat (XI, 409 sqq.), monebant, ne temere uxori crederet magno procorum numero expetitae. Neque vero Penelope conjuge indigna erat, ut prudentia, ita constantia insigni. Imo quam quasi virilem in Ulysse expressam videmus virtutem, eadem fere, sed qualis mulierem decet, in Penelopes ingenio exprimitur, fide etiam conjugali, ut par videbatur, maritum superabat. Ejus igitur constantiae, quae non incaute affectibus obtemperet, quae vel ardentissimum desiderium contineat, ejusque prudentiae, quae ne impetu aliquo animi opprimatur neve fraude aliena circumveniatur, summo opere prospiciat (XXIII, 32—230), ipsam quoque Penelopen praeclarum aliquod exemplum poëta exhibuit.

Reliquum est, ut, quod solum amissis sociis atque adeo nudum ad Scheriam insulam delatum, solum Ithacae a Phaeacibus relictum, quod causam ejus in extremis suorum angustiis ab amicorum potentium auxilio fere destitutam videmus, id eo consilio fictum esse moneam, quo magis appareret, nihil eum aliorum hominum auxilio, sibi suaeque virtuti deaeque, quae ejus patrocinium susceperat, omnia debere. Itaque nulla nisi virtutis formaeque commendatione Phaeacum sibi conciliavit amicitiam, procos suo consilio, sua fortitudine, constantia vicit.

Haec si vere disputata sunt, satis me credo iis persuasisse, qui hunc libellum perlegere dignati sint, et conditionem, in qua Ulysses domusque ejus versatur, et casus, quibus exercetur, denique res quas gerendas suscipit, omnes accommodatas esse ad tale ingenium depingendum, quale supra diximus, illamque de virtute, quae viris digna sit nobilissimis plurimumque possit, sententiam in viva quadam imagine exprimendam. Quam rem non ita instituit, ut quaecunque aut fama ferrentur aut fingi possent Ulyssis fata et facinora, dum ad illud consilium apta viderentur, omnia secundum temporum rationes perhiberet, sed praeclaro judicii acumine e fabulis, abunde, ut credimus, affluentibus, unam elegit exposuitque, ad quam multa arte singula quaeque retulit. Reditum enim Ulyssis omnia spectant; ipse per totam fabulam summo studio id annititur, ut in patriam suorumque conspectum redeat, regnumque recuperet, ceteri, uxor, filius, familia, proci reditum conjugis, patris, domini, regis aut votis expetunt, aut metuunt. Quae Ithacae aguntur Penelopes nuptiae nobilissimis juvenibus expetitae ab Ulyssis reditu pendent aut sperato aut desperato; quae per Peloponnesum Telemachus itinera suscipit, ad reditum patris explorandum pertinent. Ceterum admodum scite, quos Ulysses, postquam a Troja navem solvit in patriam rediturus, casus expertus erat, non continuo ordine auctor persequitur, sed exorsus ab eo tempore, quo Ulysses apud Calypso commorabatur, quae ante acciderant, colloquiis interserit cum Antinoo Phaeacum rege habitis. Earum vero rerum, quas Ulysses aut apud Trojam aut superiore aliquo tempore praeclare gesserat, passim intexta est memoria, ut Trojae Ulyssis praecipue virtute expugnatae IV, 271—289. VIII, 500—520 (cujus carminis priorem partem fuisse illud *νεῖκος Ὀδυσσῆος καὶ Πηλείδεω Ἀχιλῆος* VIII, 75 facile Welckero [1]) acutissimi judicii viro assentior) XXII, 227—230, apri denique ab Ulysse

1) Der epische Cyclus p. 288 sqq.

adolescente in Parnasso monte hasta transfixi XIX, 395—466, nisi forte haec fabula a posteriore poëta genuinis admixta est.

In eam sententiam, quam adhuc explicavi, quum recte mihi videar et argumentum Odysseae et consilium poëtae accipere, silentio non sunt praetereunda, quae in aliam partem doctissimus Nitzschius disputavit. Ille enim libris, quibus Odysseam interpretari coepit (Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee III. p. XIV—XXI), disputationem de ira Neptuni adjunxit, cujus his fere sententiis summa continetur p. XX: „Es wird nun deutlich sein, dass Odysseus, der in der Haupthandlung als das Werkzeug der göttlichen Strafaufsicht (ὄπις) die ὕβρις der Freier rächt, in der Episode oder den von ihm erzählten früheren Begebenheiten selbst der Schuldtragende und von der Gottheit Gezüchtigte ist.“ — „Dabei zeigt eben schon das Epos den Menschen in seiner tragischen Natur. Beschränkt in seinem Blick und unvermögend aber immer versucht das Maas zu überschreiten, übertreibt er in ὕβρις sein Recht und seine Tugend, und fällt daher oft eben durch das Trefflichste, was er übt oder dessen er sich bewusst ist, am leichtesten in Unheil. So auch Odysseus in der Episode. Wie berechtigt an sich, wie natürlich war seine Siegesfreude! Seine List hatte ihn und die Gefährten aus den Händen des Ungethüms errettet. Doch sein übermüthiges Wort“ (IX, 523—25) „rief den Fluch hervor, und so erwachte die Rache des Gottes, dessen Hoheit er bei seiner gerechten Selbsthülfe angetastet hatte. Der menschlich fühlende Dichter zeigt nun an dem Einen Helden und in demselben Gedicht Beides, wie ein ausgezeichneter, gottgeliebter Mensch selbst der göttlichen Strafe verfällt und wie er sie an wahren Frevlern ausführt“ p. XXI. „Wer sollte nach diesem allen in der Odyssee nicht bei aller Feier des Helden vielmehr den Gesang von der Götter Hoheit und Macht als von der Menschen Tugend, und mehr von den Mühsalen, welche die Menschen in Kurzsichtigkeit, Thorheit und Leidenschaft unter der Götter Obmacht bestehen als von ihrem Gelingen und ihren Siegen erkennen.“ Quae si vera sunt, mutanda mihi sententia. Sed ego, quotiescunque et argumenta, quibus Nitzschius usus est, et ipsam fabulam Odysseae, deorumque, qualis in hoc carmine est, naturam et de Ulysse judicia mecum consideravi, multum aberat, ut quae ille disseruit, probarem. Plurimarum, quae Ulyssi perferendae erant, calamitatum causam in ira Neptuni positam fuisse, quis est, qui neget? Cui nisi Jupiter ceterique dei concessissent, profecto non licuit Neptuno tantis malis Ulyssem vexare. Etiam hoc mihi constat, placandam Ulyssi in patriam reverso Neptuni iram fuisse. Ita Tiresiae oraculum XI, 119—131 interpretandum puto, cujus sententiam Welckerus et Nitzschius secus intellexerunt. Illi [1]) enim, quod Ulysses eo usque terrarum procedere jubetur, dum ad homines perveniat, qui mare non noverint, nihil Tiresiam nisi tale aliquid jubere putant: „bist du einmal wieder im ruhigen Besitz deines Hauses, so meide für immer das böse Meer.“ Quae adhortatio haud scio an etiam indigna fuerit viro fortissimo, cujus eximia quaedam laus in eo cernitur, quod πολύτλας appellatur. Ut otium post multos labores Ulyssi exoptatum fuerit (XXIII, 248—250. 266 sq.), vitam per ignaviam peragere, timideque sibi a mari cavere, parum eum decebat. Neque ipse Ulysses (XXIII, 248—284, qui versus cur alii quam priores XI, 119—137 poëtae tribuendi sint, non video) ita Tiresiae vaticinium intellexit, neque auctor Telegoniae Ulyssem fecit domi desidentem

1) Aeschyl. Trilogie Prometheus p. 464. Nitzsch. Erkl. Anm. z. Od. III. p. 209.

(cfr. quae ex Procli chrestomathia Photius excerpsit.[1]) Tiresiam quoque, cujus cetera oratio simplex atque perspicua est, miraremur verbose tecteque id significantem, quod paucis verbis absolvi poterat:

ἦσθαι δὴ σύ γ' ἔπειτα παρεὶς εὑρὲς ἐρετμόν.

Quid multa? Jubetur Ulysses apud eos homines sacra Neptuno facere (Neptuni cultum eos docere), qui antea illum non noverant. — Facile igitur concedo multas res, quas fabula Odysseae persecuta est, ad iram Neptuni pertinere, sed scelusne Ulysses commiserit, quod diras Polyphemo imprecans ne Neptunum quidem gloriatus est oculum caecatum sanaturum, id quam maxime in dubium voco. Ipsum illud dictum, quo Neptuni numen violasse, cujus etiam poenas merito maximas Ulyssem dedisse Nitzschius censet, quale fuerit (IX, 523—525), spectemus.

Αἴ γὰρ δή, inquit, ψυχῆς τε καὶ αἰῶνός σε δυναίμην
εὖνιν ποιήσας πέμψαι δόμον Ἄϊδος εἴσω,
ὡς οὐκ ὀφθαλμόν γ' ἰήσεται οὐδ' Ἐνοσίχθων.

Num quid aliud Ulysses edixit, nisi uti res se habebat? Neptuno si qua copia erat sanandi, quidni sanavit? quidni Polyphemus, ut sanaret, a patre petiit? Imo Polyphemus et justas violati hospitii poenas exsolvisse, et quod pridem ei fatum erat, perpessus esse censendus est (IX, 478 sq. 507—512), ut ne sperare quidem serio potuerit (520), fore ut pater ipsum sanaret. Neque ullum in Odyssea indicium reperitur, quo sive ceteros deos, sive ipsum Neptunum illud dictum tam aegre tulisse appareat. Iratum Neptuni animum, non causam irae significant V, 286—290. XIII, 128—138. Jupiter autem I, 68 sq. ob filii oculum caecatum Neptunum ait irasci. Fuit quidem, in quo argumento Nitzschius inprimis nititur, deorum aliquod decretum, quo Ulysses ante certum tempus ad suos redire vetabatur (V, 286 sq. I, 16 sqq.); sed longe eum opinio falleret, qui poenas ab Ulysse eos repetiisse putaret propter dictum aliquod nefandum scelusque in deorum numen commissum. Neptunum si credamus in deorum concilio de facinore Ulyssis conquestum id impetrasse, ut sero ei in patriam redeundum esse dii decernerent, nihil nefandi Ulyssem diis visum esse neque dixisse neque fecisse, e Palladis Jovisque judiciis (I, 60—62. 65—67) intelligimus. Minerva quum acerbius Jovem incusasset, quod pietatis oblitus, qua Ulysses quondam deos coluisset, nulla misericordia moveretur viri summis calamitatibus oppressi, Jupiter tantum abest, ut de scelere in Neptunum deorumque omnium majestatem commisso, propter quod jure in Ulyssem animadversum sit, Minervam admoneat, ut summam et ipse virtutis pietatisque laudem Ulyssi tribuat. At si quidquam Ulysses deliquit, hoc loco deos oportuit delicti memores esse, quum praesertim Jupiter hominum antea (32—43) stultitiam reprehendisset, qui deorum iniquitatem accusarent, si quid nefarie agendo sua culpa mali sibi contraxissent. Quamobrem quum Ulyssem dii Neptuno irato concedunt, ne quis hominum superbiae impietatisque vindices eos exstitisse credat. Mortalium fortunas, ut par erat, etiam inviti deo infesto condonandas putant. Eandem Jupiter agendi rationem XIII, 139—145 sequitur. Accedit, quod Ulysses cum sociis, priusquam etiam superbiore, ut Nitzschio videtur, voce Neptuni numen contemsisset, fortunam adversam expertus est. Rem contra Ciconas male gessit (IX, 52 sq. τότε δή ῥα κακὴ Διὸς αἶσα παρέστη ἡμῖν αἰνομόροισιν); apud Maleam promontorium, quum in eo esset, ut patriam repeteret, a cursu suo dejectus ad

1) C. G. Müller de cyclo Graecorum epico 1829. p. 50 sq.

Lotophagorum litora appulsus est, sociorum denique corpora vidit dapes a Polyphemo paratas. Cave igitur Ulyssis sive superbiam aliquam, sive impietatem rerum adversarum, quibus implicitus est, causam fuisse credas. Nihil Odyssea habet, quod in illo vituperet. Multis quidem casibus adversis causam poëta Neptuni iram subjecit, ut in hac initia et principium haberent; sed, nisi forte scelestum hoc facinus erat, quod coecato Polyphemo salutem quaesivit, nihil neque in Neptunum, neque in ceteros deos deliquit. Imo, quas virtutes in Achille desideramus, prudentiam, temperantiam, et quae his continetur, constantiam, earum praeclarum aliquod exemplum Ulyssem proposuit. Ea virtus ut in varia fortuna spectaretur, multis etiam adversis casibus necesse fuit eum tentari. Dii cur haec decreverint, ne quaeras; fata sic voluerunt.

Rationem, qua totum carmen compositum sit, ut recte intelligamus, multum interest, quid de duplici libri primi et quinti exordio statuendum videatur. Quod eo consilio poëtam fecisse putarunt, ut quum duae fabulae essent, ex quibus carmen coalesceret, de rebus Ithacensibus altera, altera de reditu Ulyssis, suum utraque prooemium haberet. Neque ego negaverim quum alias partes utriusque carminis tum haec duarum fabularum quasi initia ita comparata esse, ut facilius singulae rhapsodiae separatim pronuntiari possent. Longe autem a vero aberrant, si qui exordium alterum alterius rationem non habere arbitrantur. Ea quidem, quae G. Müllerus [1]) disseruit, quum leviora sint, supervacaneum videtur refutare, sed non praetermittenda sunt, quae nuper Bernhardius [2]) in eandem fere sententiam verba fecit: „Wie passend und zusammenhängend nun auch alles in der Zergliederung des Gedichts erscheint, so folgt doch hieraus nicht, dass nothwendig die jetzigen Glieder ursprünglich beisammen gewesen und einander gefordert hätten; sondern der alte Plan war innerlich befriedrigt, wenn er die Abenteuer, die Rückkehr und Rache des Helden enthielt S. Herm. Opusc. V. p. 54 sq. Schon an sich reicht die Verschränkung des Stücks vom Telemachus, das nach den vier ersten Büchern seinen Abschluss im fünfzehnten erhält, und kein selbstständiges Epos bilden konnte, weit über die Einfalt der epischen Oekonomie hinaus; ausserdem sind die Proömien von ά und έ unabhängig von einander angesetzt, um nach zwei verschiedenen Seiten hin das gesammte Werk einzuleiten.“ Miror quod virum doctissimum effugit, quam apte hoc exordium cum superioribus connexum sit. Non modo sermonis continuati speciem prae se fert, qua immutata novi prorsus carminis initium restituere difficile esset, sed etiam eorum, quae ante enarrata erant, manifesta ratio habetur. Hominum Minerva injurias accusat, non deorum. An, quod dignos homines non esse ait, quibus rex aequus justusque et clemens imperet, alia causa est, nisi insidiae nuperrime (IV, 667—675. 768—786. 842—47 cfr. V, 18—20) Telemacho paratae? Tantum quum periculum Ulyssis rebus domesticis immineret, num quid mirum, si Ulyssis quoque mentionem Minerva injecit, ejusque multas calamitates conquesta est (5), quum ipsum Telemacho interfecto summo moerore affectum iri, sin autem adesset (14) optime suos defensurum consentaneum esset? Itaque quum in Ulysse reduce omne praesidium domus positum esset, nihil magis erat exoptandum, in nulla re major opera ponenda, nisi ut ille tandem aliquando et patriam et suos recuperaret. Quamobrem et Jovis decreto, penes quem summa omnium rerum potestas esset, et Mercurii praeconio opus erat.

1) Homerische Vorschule p. 127.
2) Grundriss der griech. Literatur II. p. 100.

Neque enim Minerva ipsa per se rem perficere potuit, cui ne obtemperasset quidem Calypso, si sua decreta pronunciasset, neque eam Jovis deorumque decreta perferre decebat, quippe quae, nisi quorum aliquod patrocinium suscepit, in Odyssea hominibus adesse non soleat. Satis igitur aptam causam poëta finxit deorum conventus iterum habiti, neque modo ab integro novam fabulam de Ulysse reduce enarrare non coepit, sed etiam superius decretum deorum his verbis (23. 24) respicit:

οὐ γὰρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτῇ,
ὡς ἤτοι κείνους Ὀδυσσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;

Nam quum nihil ad Ulyssem attineret in patriam reverti, nisi imperium, domum, suos a procorum superbia vindicatos recuperaret, qui reditum Ulyssi concedendum decreverunt, iidem poenas de procis statuerunt sumendas, quae etiam Palladis menti obversabantur, quum I, 47 perniciem omnibus imprecaretur, quicunque simile Aegisthi facinus committerent. Nihil restat, in quo offendamus, nisi Jovis quaedam socordia in rebus, quas decrevit, peragendis. In qua defendenda non equidem Nitzschio assentior, qui de priori Jovis decreto, quod I, 76 sqq. est, haec disputat: [1]) „Diese mehr gelegentliche und keine geflissentliche Entscheidung enthaltende Aeusserung (φραζώμεθα s. II, 168. XIII, 365) liess erstlich dem Poseidon volle Freiheit, dem Odysseus die Heimkehr so sehr zu erschweren, als er nur wollte. Ganz ein Anderes wäre es gewesen, wenn Zeus dem Zorn desselben direct entgegengetreten wäre. Jetzt lässt die mit Rücksicht auf Poseidon nur laue und scheue Theilnahme, welche Zeus für Odysseus hat, es sehr wahrscheinlich finden, wenn die Massregel, welche Athene gleich nach jener Bewilligung angab (I, 84), nicht sofort ausgeführt wurde. Kündigte doch Athene damals selbst zugleich mit jener Angabe ihren Entschluss an, nach Ithaka zu gehen. Sie hatte also selbst zunächst etwas Dringenderes zu thun, oder verfolgte ihren Zweck nicht weiter. Genug, wer jene Massregel sogleich ausgeführt verlangt, der muss die ersten Gesänge als fremd oder müssig erweisen können.“ Minerva, quum I, 82 in eam sententiam Jovis orationem (76—79) acceperit, ut constare jam inter omnes deos putaret, restituendum in patriam Ulyssem esse, quid est, quod nos dubitemus? Recte ab illa intellectum esse consilium Jovis, ex hujus ceterorumque deorum silentio patet. Jupiter, quo ille secundum Homerum ingenio est, neque ea, quae decrevit, statim exsequitur, neque rerum humanarum ita studiosus est, ut ejus incuriam mirari debeamus. Vidimus causam, cur duo exordia — siquidem eo nomine abuti libet — sive pugnare inter se, sive alterum alterius rationem non habere dicamus, nullam esse. Ceterum aliquam veri speciem habent, quae Geppertus [2]) dicit: „Weniger kunstgerecht muss es dagegen genannt werden, wenn die Götterversammlung, mit welcher das erste Buch begonnen hat, im fünften noch einmal stattfindet, um den zweiten Theil der Zugeständnisse des Zeus, die Sendung des Hermes an Kalypso, ins Werk zu setzen. Der Dichter, der seinen Hörern an einer andern Stelle so viel Gedächtniss zutraut, dass er eine unmittelbare Verbindung des letzten Verses im 13. Buche mit dem ersten im 15. machen konnte, hätte vielleicht auch darin seinem Auditorium nicht zu viel zugemuthet, wenn er sie nur mit wenigen Worten an den Antrag der Athene erinnerte und das fünfte Buch

1) Erkl. Anm. II, p. 5.
2) Urspr. d. Hom. Gesänge I, 432.

ohne Weiteres an α 84—87 anknüpfte, doch da es wahrscheinlich ist, dass nicht an einem Tage, oder wenigstens nicht ohne Unterbrechung ein solches Epos hintereinanderweg gesungen worden ist, so muss man wenigstens gestehen, dass er das einfachste Mittel wählte, um dem Gedächtniss seiner Hörer durch Wiederholung zu Hülfe zu kommen." Omnino simpliciore hac arte poëta usus est, quod Jovem fecit tum demum aggredientem ad eas res peragendas, quas ante plures dies decreverat, quum ipse in eo erat, ut illas ultra persequeretur. Sed audientium certe commodis inserviebat, quibus difficilius erat, rerum jam enarrandarum aliam partem tanquam eodem, quo superiora, aliam posteriore tempore gestam animis informare.

Extremam Odysseae partem inde a rhapsodiae XXIII v. 297 a Spohnio aliisque damnatam, defensam aliqua ex parte ab aliis ego tuendam non suscipio. Fabulae sententiaeque, quae in Odyssea exponitur, ut summam intelligamus, nihil interesse videtur, utrum hac extrema parte careamus, necne.

At sunt, qui omnem operam in monstrando uno fabulae Iliadis aut Odysseae argumento positam contemnant, neque inde quidquam effici censeant ad comprobandam unam Iliadem aut Odysseam ab uno poëta compositam. Nitzschius [1]) quum viris grammaticis, qui Gothae convenerant, quale sibi videretur argumentum Iliadis, exposuisset, breviter ad ea Lachmannus: [2]) „Es scheine ihm das eine unhomerische und aus Homer nicht zu erweisende Theologie zu sein. Die Ansicht sei schön, wenn sie wahr wäre." Vellem ille vir, quem singulari praeditum aestimo judicii acumine, nos edocuisset, quid in ea de rebus divinis sententia, quam Nitzschius in Iliade expressam esse demonstravit, alienum reperiret ab Homero. Satis habuit, quid ipse sentiret, edixisse. At ita, ut Homero, si quidem Nitzschio assentimur fabulam Iliadis interpretanti, Graecis persuasum fuisse omnibus, quicunque pie et verecunde de rebus humanis judicarent, inter omnes constat: poenas homini dandas esse superbiae, qua immoderate suo honori tuendo vindicandoque studeat. Lachmanni utique erat, si quae Nitzschius accurate disputaverat, minus probaret, docere, quas ille Iliadis partes male intellexisset, ut Homero talem de rebus divinis sententiam non convenire demonstraret.

Sed prodeundum in eam arenam, in quam Lachmannus provocavit, quum adversus Gepperti disputationem haec responderet: [3]) „dass die ganze Differenz darauf beruhe, wann die vorliegenden Gedichte entstanden seien, d. h. wie sie waren, und wie sie in die Hände des Pisistratus gelangten."

Nimium a Wolfio iisque, qui a partibus illius stabant, ea exaggerata sunt, quae apud nonnullos scriptores (Pseudoplat. Hipparch. p. 228, b. Aelian. v. hist. VIII, 2. Diog. Laert. Solon l. I. §. 57. Pausan. VII, 26, 6. Bekker Anecd. p. 765 sqq. Suidas s. v. Ὅμηρος. Cicero de orat. III, 34. Schol. Plautinum a Fr. Ritschlio in libro „Die Alexandrinischen Bibliotheken" editum, cujus graecum exemplum in Crameri Anecd. graecis I. exstat) feruntur Pisistrati aut Pisistratidarum de Homeri

1) Verhandlungen der dritten Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner p. 52—55.
2) Ibid. p. 55.
3) Ibid. p. 52.

carminibus merita. Quae si diligentius examinaveris, nihil fere, quod satis compertum habeas, relinquetur, nisi restitutam a Pisistrato vel Pisistratidarum aliquo carminum Homericorum compagem esse antea dissolutam. In hanc sententiam Ritschlius[1]) verba fecit „Pisistratus stellte eine Ordnung her, die sich durch rhapsodische Vereinzelung gelöst hatte.“ Quod autem ab eodem viro doctissimo, quae de Solone, Pisistrato, Hipparcho varie tradita sunt, p. 67 ita distribuuntur, ut suum cuique meritum sit, vereor ne ea accuratius quam verius descripta sint. Nam quorum nunc auctoritatem sequimur in aestimanda Pisistrati opera, eos aut leviter rem attigisse aut pleraque confudisse maleque intellexisse, ex iis apparet, quae memoriae prodiderunt. Fama crevit eundo. Scriptores quo posteriores sunt aetate, eo sunt copiosiores. Ex Lycurgi in Leocratem oratione §. 102 (cfr. Isocr. Paneg. §. 159) comperimus quinquennalibus Panathenaicis Homeri carmina eaque sola publice pronunciata esse. Ordinem, quo singulae se rhapsodiae exciperent, et Solon (Diog. Laert. I, §. 57) et Pisistratus constituisse dicuntur. Ille *τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς*[2]) *γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. Μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Δευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί, οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον καὶ τὰ ἑξῆς.* Quae verba utcunque explicabimus,[3]) hoc manifestum erit, ambiguum illo tempore fuisse, utrum Solonis an Pisistrati major in Homero illustrando opera fuisset. Jam si Dieuchidas, cujus verba Diogenes refert, majorem laudem Soloni tribuendam censet, facile adducimur, ut Solonem justo ordini, quo carmina pronuncianda essent, scripto exemplo, quod rhapsodorum certaminibus subjiceret, prospexisse putemus. Dubiam rei memoriam produnt, quae in Hipparcho Pseudoplatonis leguntur: *Ἵππαρχος τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνὶ καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διέναι.* Fidem auctoris quantumvis despiciamus Stallbaumio assentientes, qui eum rhetorico quodam ait pruritu inflatum omnia illa instituta, quibus Solon atque Pisistratus bene de litteris meruissent, ad heroem istum suum tanquam auctorem retulisse,“ hoc miramur, quod neglecto, quod et majus videbatur, et, si quidem noverat, in promtu erat, Pisistrati merito collectorum in unum corpus carminum Homericorum ad Hipparchum, Pisistrati filium Solonis laudes detulit. Neque, si iis fidem habemus, quae de Solone aut Hipparcho memoriae produntur, integram Pisistrati laudem, qualis a ceteris auctoribus perhibetur, tueri possumus. Illi si justo ordine atque *ἐξ ὑποβολῆς* carmina pronuncianda curarunt, qui fieri potuit, ut Pisistratus primus Homeri libros confusos antea sic disponeret, ut nunc habemus? Eundem credo qui ordinem constitueret, quo carmina rhapsodis pronuncianda essent, operam dedisse, ut justa atque idonea rerum series atque compages existeret. Quamobrem sive in eam partem *τὸ ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν* accipimus, ut scripto adstricti exemplo carmina pronunciarent, sive lege quadam idoneus rhapsodiarum ordo atque index constitutus erat, non jam confusos Homeri libros Pisistratus reperit. Mihi quidem, quod Solonem alii, alii Pisistratum, Hipparchum unum

---

1) Alex. Bibl. p. 52.

2) Hanc vocem recte G. Hermannus Opusc. V, p. 301 sqq. et Nitzschius interpretantur: verba suggerendo, i. e. ut certa lege rhapsodi, quid qua ratione recitare deberent, adstringerentur.

3) Mihi extrema: *ἦν δὲ — ἑξῆς* ex interpretatione ad *ἐφώτισεν* adscripta in contextum sermonis videntur falso recepta esse.

optime de Homero meritum esse dicunt, ipsa rei memoria videtur dubia esse, ut plerosque, quum Solonem aut Pisistratum nominarent, causa non accuratius cognita ad eam fere aetatem, qua illi vixerunt, restitutum carminum Homericorum ordinem retulisse putem. Eadem famae inconstantia in illis cernitur, quae de versu Iliadis II, 558 interpolato apud Strabonem IX, I. Plut. Solon. c. X, Diog. Laert. I, §. 48. Quintil. V, 11 leguntur. Strabo enim et Solonem et Pisistratum alium ab aliis auctorem interpolationis habitum esse refert, Solonem Plutarchus et Diogenes (I, 48) nominant.

Sin autem testium multitudine inducimur, ut Pisistratum plurimam operam disponendis Homeri rhapsodiis navasse arbitremur, quem quidem plurimi auctores, quos supra nominavi, collegisse dissoluta carmina ajunt, additis etiam in scholio Plautino eorum nominibus, quorum ille opera usus erat, Concyli nescio cujus, Onomacriti Atheniensis, Zopyri Heracleotae, Orphei Crotoniatae, jam Solonis operam aut minorem aut nullam fuisse credamus, Pisistrato autem id tribuendum esse, quod quidam Soloni aut Hipparcho tribuunt, carminum Homericorum justam compagem atque collectionem eo consilio institutam, ut scripto adstricti exemplo rectius illa rhapsodi pronunciarent.

Sed ut de Pisistrati tanto beneficio in Homerum collato nihil dubites, ejus continuitatis carminum, qua, si pauca excipias, singula cum singulis apte connexa sunt, qua justo ordine res se excipiunt, et posteriora quaeque causam in superioribus habent, qua denique ad unam sententiam, unum argumentum omnia referuntur, auctorem verum nemo ex illis testibus Pisistratum dixit. An qui minora praedicarunt, eos majora silere par erat? Pisistratus si compage nova inventa, quae non innata carminibus esset, ea contexuisset, quae antea nisi separata alia ab aliis non exstarent, quantis eum credas laudibus ornasse Herodotum, Aristotelem, alios! Tacuerunt. Audias, quae Rich. Payne Knight [1]) in hanc partem disputavit: „Neque Herodotus, neque Thucydides, neque Plato, neque Aristoteles, qui tot de Homero, de Pisistrato et filiis ejus memoriae prodiderunt, tanta in poëtam beneficia nosse omnino videntur. Aristoteles autem, vir rerum antiquarum peritissimus, laudes in Homerum cumulat ob pulchram carminum dispositionem et artificiosam compagum structuram; neque unquam suspicatus est, eas laudes ad eorum redactorem Pisistratum, non ad poëtam, jure pertinuisse.“ „Aristoteles autem non tanto intervallo temporis Pisistratidas subsequutus est; neque carminum Homericorum fama per id intervallum adeo tenuis aut obscura fuit, ut historiarum omnium et naturae et artis indagatorem acerrimum, quid in ea contulissent principes illi Atheniensium, fugere potuerit.“

Conseruisse Pisistratum credas carmina, quae ad easdem Troicarum rerum fabulas pertinerent, quid, quaeso, Atheniensium tyranni intererat, quae natura multa erant atque sejuncta, ita retractare, ut unum carmen fierent, subtilique artificio justam continuitatem, unam sententiam, unum consilium carmini intexere! Poëtarum hoc vero est, non tyrannorum neque hominum quamvis doctrina praestantium, carmina antiquiora ita refingere, ita ad novum consilium novamque sententiam revocare, ut forma penitus immutata jam innata quadam necessitudine cohaerere videantur. Qua arte qui Homericorum carminum corpus confecit, eum vero Homerum censeo nominandum, poëtarum, qui unquam fuerunt, unum praestantissimum. Onomacrito ceterisque num tanta laus tribuenda sit, dubito. Illum etiam aliis carminibus sua quaedam immiscuisse constat, ipse nihil invenit, quod memoria dignum esset. Sed ut in mentem Pisistrati venerit, Homerum

1) Prolegomena ad Homerum. Ed. Lips. p. 3. 5.

aliquem creare, qui nullus dum esset, cur in iis se finibus continuit, quibus nunc Ilias vel Odyssea circumscripta est? cur non ex Aethiopide, ex Iliade parva aliisque Cyclicorum carminibus, quae apta videbantur, assumsit? An, quod Cyclica carmina diversa ab Homericis poëtica dictione utebantur? At tantum a Wolfianis Pisistrati operae tribuitur, ut, qui illi ad manum essent, vel dissimiliora in aliquam ceterorum similitudinem immutare potuerint. Fateamur, invenisse Pisistratum Iliadem atque Odysseam, non fecisse, atque invenisse fere talem, qualem nunc habemus. —

Exiguam non fuisse eorum operam, quibus Wolfiani hanc continuitatem fabulae deberi censent, quam in Iliade et Odyssea agnoscimus, facile est ad intelligendum. Nam ipsas res fabulasque Trojanas quamvis apte inter se fingamus connexas, eum tamen ordinem, quo nunc in Iliade aut Odyssea res gestae connectuntur, non in fama rerumque memoria, sed in poëtae arbitrio et consilio positum fuisse omnes vident. Jam cogites quaeso quantam eorum (si quidem illo tempore factum concedamus, quod nunquam factum est, ut multorum opera unum poëma conficeretur) operam fuisse existimes, quibus in eo elaborandum erat, ut in hanc unam fabulam a Pisistrato aut nescio quo alio inventam ea transformarent, quae natura non congruerent. Fac materiam eos, fortunae gavisos maximo beneficio, talem reperisse, qualis omnia ea suppeditaret, quae ad conficienda Iliadis et Odysseae corpora opus erant, ipsam dispositionem materiae, quam ad Pisistratum Wolfiani referunt, ipsum opus difficillimum, quo singula quaeque justo loco disposita uno consilio, una sententia, pertexerentur, tantae carminum commutationis causam fuisse necesse est, ut Onomacriti, Zopyri, Orphei potius opus existeret, quam antiqua carmina relinquerentur. Tanta mutatione facta cur in iis, quae ipsi aut addiderunt aut retractarunt, antiquitatis speciem tueri maluerunt, etiam iis servatis, quae obsoleta et difficiliora essent ad intelligendum, quam ad suae aetatis sermonem omnia revocare?[1]) Non solent in iis carminibus, quorum, id quod in Homerica carmina cadere videbatur, ad incertos auctores atque ad universam quasi gentem origo refertur, tanta religiositate antiqua servari; sermo immutatur cum tempore. Atqui si ad Pisistrati tempora carmina Homerica non fixo antiquoque sermone, sed ad normam posterioris aetatis immutato pervenissent, quid causae fuit, cur antiquitatis speciem affectarent, neque quae tum obsoleta relicta erant, mutarent? Sin autem pleraque credamus, quum Pisistratus acciperet, antiqui sermonis speciem atque eam quidem, quae etiam nunc est, servasse, non tantam, quantam Wolfiani putant, operam in componendis carminibus Homericis Pisistratus locavit. Intexto enim novo ordine atque consilio ita necesse fuit carmina innovari, ut nulla eos religio teneret, ne etiam dictionem innovarent.

Denique si Pisistrati eorumque, quos ministros adhibuit, operae hanc carminum Homericorum compositionem deberemus, quum tanta immutatione antiquorum opus esset, quantam modo vidimus, quid obstabat, quo minus majoribus res Atheniensium laudibus celebrarent? Facile quidem, si plurima novanda, alia addenda essent, induci poterant, ut virorum fortissimorum laudibus etiam Atheniensium aliquas res immiscerent optime gestas, cumque aliis urbibus nobilissimis Athenas exaequarent. Sed pauca et prae summis aliarum urbium laudibus leviora sunt, quae tentasse dicuntur. Il. II versus 552—555 a Zenodoto (v. Schol. Venet.) improbantur, v. 558, ut supra

---

1) Ut Il. II, 573 *Δονόεσσαν* in *Γονόεσσαν* Pisistrati familiares mutasse propter inscitiam (*μεταποιῆσαι ὑπὸ ἀγνοίας*) Pausanias refert VII, 26, 6.

vidimus, a Solone aut Pisistrato additus perhibetur [1]) neque in antiquissimis editionibus exstat. In Od. VII versus 80. 81 suspecti erant (v. Schol. Harl. Palat.) XI, 631 Thesei mentio facta suspicionem movit Hereae Megarensi, [2]) ne Atheniensium gratia inserta esset (Plut. Thes. c. XX). Thesei praeterea mentionem faciunt Iliadis I. v. 265, Odysseae XI, vv. 321 — 325. Prior locus „a plerisque probatis libris abest, neque eum ullus Schol. nec Eustathius usquam agnoscit, ut sero adscriptum putes ex Scuto Herc. 182" (Wolf. Proleg. p. XXVII). In *Νεκυίαν* vv. 321—325 ex Atticis fabulis non tam a Pisistrato, quam ante illum a rhapsodis videntur illati esse. [3])

Tenuem istam rerum Atticarum laudem dolo modesto Homero obtrusam, eamque non neglectam ceteris Graecis sed fraudis nomine notatam, satis, opinor, idoneam testem habemus, quam religiose antiqua, quae viderentur ab Homero profecta, et ceteri Graeci tuiti sint, et illi ipsi, qui Pisistrato auctore carmina Homerica justo ordine colligenda curabant. Ipsa diligentia, qua vel leviora castigabant ab omni Atheniensium fraude Homerum vindicantes (praeter ea, quae supra memoravi, Od. XI, 604. fortasse vv. 601—3 ad eosdem auctores referendi) luculento testimonio est, cetera sana, antiqua, intacta Onomacritorum artibus visa esse, modesteque Pisistrati familiares ex iis, quae acceperant, pauca quaedam in Atheniensium gloriam mutasse.

Vidimus, quantis Wolfianorum sententia difficultatibus implicetur, quippe quae neque explicare possit, qua ratione ex multis iisque separatis carminibus unum carmen, uno consilio, una sententia per totam fabulam pertinente conficiatur, nisi quis arte atque ingenio poëtico in novum carmen antiqua transformet, neque cum levibus istis corruptelis atque additamentis, quae Pisistrato crimini dantur, conveniat, quoniam ea Homericorum carminum dispositione, qualem Wolfiani Pisistrato tribuunt, pleraque innovari necesse fuit.

Plana omnia et expedita erunt, si in iis subsistamus, quae vera de Pisistrato tradi videntur, neque negligamus, quod pauciora tanquam a Pisistrato in Homerum illata veteres notarunt, quam ut novato carminum consilio, ordine, fabula, nova carmina condidisse Pisistratum credamus. Quamobrem talia fere, qualia nunc habemus, non illa quidem prorsus antiqua et vera, sed a rhapsodis innovata, aucta, corrupta ad Pisistratum pervenisse jure nostro censemus, ejusque familiares et ipsos pauca quaedam, quibus vel continuitati carminum subvenirent, vel Atheniensium aliquam laudem immiscerent, mutasse atque addidisse, universa carmina reliquisse, qualia invenerant. Restituta igitur a Pisistrato Atticis dicas carmina Homerica, non condita. [4])

Quid? quod ceteri Graeci ne passi quidem essent novum sibi Homerum obtrudi. Neque enim Pisistrati aetate, quae in luce publica versabatur, ita plura mutari poterant, ut nemo animadverteret. Jam si Homerum Pisistratus exhibuisset multum ab eo abhorrentem, quem ceteri Graeci cognitum haberent, aut duas, si non plures, recensiones admodum inter se diversas, alteram Pisistrati, alteram vulgarem, ad Alexandrinos pervenisse, aut Pisistrati recensionem amissam

---

1) Pseudo-Herodotus in vita Homeri c. 28 ipsum Homerum, quum poeniteret, quod parum Athenas laudasset, laudes illas carminibus inseruisse ait.

2) Illius ut Athenienses Solonemque per injuriam Salaminis possessionem sibi vindicasse argueret (Plut. Solon. c. X) multum intererat, quam plurimos Homeri locos ab Atheniensibus corruptos demonstrare.

3) C. Fr. Nitzsch, Erkl. Anm. z. Od. III, p. 251, 254.

4) De Pisistrato cfr. Nitzschii accuratissimas disputationes in Melett. de hist. Homeri. Bernhardy, Grundr. d. gr. Lit. II, p. 62. 71.

esse credamus. Hoc si accidit, causa erat fides a plerisque Graecis denegata. Illud statui non posse ex iis intelligitur, quae de Alexandrinorum opera et copiis, quibus in castigandis carminibus utebantur, comperta habemus.

Quamobrem aut amissam Pisistrati editionem, aut vulgarem illam recensionem, qualis editionum communis erat ab Alexandrinis usurpatarum, eandem fere atque Pisistrati recensionem fuisse statuamus.

Sive hoc sive illud verius esse dixeris, utrumque pertinet ad eorum, quae nunc habemus, carminum Homericorum fidem confirmandam.

Postremo ne forte rhapsodorum ingeniis eam continuitatem Iliadis atque Odysseae tribuendam putemus, quam in Onomacritum sociosque non cadere vidimus, eorum nos oportet memores esse, quae de Cyclicis poëtis Nitzschius,[1] Welckerus,[2] C. O. Müllerus[3] disseruerunt. Nam cyclicorum poëtarum ingenia qui exploraverit, et in quibus potissimum fabulis tractandis qua arte, qua ratione versari soliti sint, quantum ex fragmentis Photiique excerptis colligi potest, perpenderit, is sua sponte, quod Nitzschius obtinuit, intelliget, „dass die Ilias und Odyssee im Ganzen ihre jetzige Fassung schon zur Zeit des Arktinos, Stasinos und der andern Dichter troischer Sagen gehabt haben müsse.“ Multa a Nitzschio afferuntur ad hanc sententiam comprobandam, et fabulas antiquas et de rebus divinis sententias alias in cyclicis carminibus inveniri, atque in Iliade et Odyssea; sed firmissimo illo argumento utitur, quod Cyclicorum poëtarum nemo in iis rebus ac fabulis versari voluit, quae ab Homero praeoccupatae erant. Stasinus, si Cypriorum auctor est, materiam carminis eam sumsit, in qua causa esset belli Trojani, fabulamque usque ad Iliadis initium produxit; Iliadem excepit Arctini Aethiopis; sequuntur Leschis parva Ilias, Arctini Troja diruta (*Ἰλίου πέρσις*), Hagiae Troezenii de Achivorum (Atridarum) reditu carmen (*Νόστοι*); inde Odysseae locus relictus erat, quam Eugammonis Telegonia excepit. Nimirum et religio quaedam et modestum de se judicium Cyclicos prohibuit, ne iisdem fabulis exponendis operam darent, quae a summo poëta summa arte exposita viderent.

Testibus igitur luculentis poëtis Cyclicis uti licet, qui absolutam Iliadem, absolutam Odysseam se novisse clamant.[4]

Etiam stilus poëticus, quantum ex fragmentis, quae exstant, cognoscitur, diversus ab Homerico, documento est, fixum ante Cyclicos fuisse sermonem Homericum, necdum nisi in paucioribus partibus, quae quum minores essent, facilius ad ceterarum similitudinem conformari poterant, Iliadem et Odysseam locum dedisse inserendis fabulis postea inventis.

Ipsa sermonis aequalitate, quam per universa carmina pertinere neque deficere videmus, nisi paucis quibusdam locis, inprimis Odysseae in extremis partibus, a Cyclicis rejicimur ad superiorem Homeridarum aetatem. Jam si quis est, cui Ilias et Odyssea a poëtarum quadam gente paulatim confecta magis placeat, quanquam neque ab historica fide (eorum enim, quae discrepant, aliae causae afferri possunt), neque ipsa rei natura hoc probatur, nihil amplius habemus,

---

1) Erkl. Anm. III, p. XXII sqq.
2) Der epische Cyclus. p. 327 sqq.
3) Rec. huj. libri Zeitschr. f. Alt.-Wiss. 1835. 12.
4) G. Hermanni Op. V, p. 70.

quo invito de nostra sententia persuadeamus. Equidem admodum mihi credulus videar, si plurium hoc poëtarum, plurium aetatum opus esse credam, quod ab uno ingenio profectum video.

Propositum mihi fuerat, ne qua adversariorum rationes neglexisse viderer, inprimis G. Hermanni et C. Lachmanni prolixiores disputationes suo quasque loco accuratius examinare. Ipsas quum ad manum non haberem (nam excerpta quidem, quo singula cognoscerem, non sufficiebant) ante aliquot menses, mature ut mihi videbar, bibliopolae mandavi, ut mihi compararet. Diu frustra exspectabam. Tandem absolutum libellum ubi prelis tradidi, Hermanni opuscula afferuntur, Lachmanni disputationibus etiam nunc careo. Itaque ut vel aliqua ex parte consilio constarem, petii impetravique a typographi humanitate, ut prelorum opera inhibita ad finem meae disputationis aliquid addere liceret.

Eorum vero, quae vir acutissimus disseruit, [1]) quum alia ad summam de compositione Iliadis et Odysseae quaestionem, de qua supra dictum est, alia ad cognoscendam quarundam rhapsodiarum formam mutatam pertineant, in illas partes, quas Hermannus censet interpolatas esse, ea diligentia inquiram, quae tanti nominis auctoritati debetur.

Liceat autem pauca praefari. Nihil equidem dubito, quin complures locos (ut Il. XIV, 317—327) interpolatos esse etiam ineptiae arguant, quas in sententiis aut rerum conjunctione reperias. At caute modesteque hac argumentatione utendum, neque ad nostram sentiendi rationem, nostram, quid artificiosa operis descriptio desideret, opinionem, nostram ingenii normam omnia revocanda. Male, ut aperte confiteamur, de Homericis carminibus consultum esset — pace hoc virorum doctissimorum dixerim —, si nostro ingenio, quicumque literarum antiquarum doctrina instructi ad illa perpolienda aggredimur, ab integro deberent refingi. Ut leviora notemus, emendemus — dormitasse enim aliquando ajunt, ut ceteros poëtas, ita Homerum —, quo majora aggredimur, ipsum consilium ordinemque, quo per plures partes singula disposita sunt, castigantes, eo facilius fallimur. Temere, ut fieri solet, nostro judicio confisi, quum sua cuique inprimis placeant, si quam maxime comprobaverimus posse alio eoque aptiore ordine nonnulla disponi, cur ideo indignum Homero judicemus, quod libri habent? Norma Homerici ingenii, vel, cujus nos Hermannus admonet, lex antiqui carminis epici unde repetenda? Homerum necesse est ex Homero, pauca necesse est ex plerisque judicemus. Quo plura reprehendimus tanquam Homero indigna, eo magis illa nos norma deficit, qua cetera metienda sunt. Subridemus, si Alexandrinos aliquando, in quibus sententiis offenduntur, eas Homero abjudicare videmus; caveamus, ne nostro nimis freti judicio, quae nobis displiceant, ea Homerica esse negemus. Nam multa quidem, quae ea de causa tentata sunt, prorsus ferenda non videntur.

Majoris interpolationis exemplum Hermannus librorum XI, XV, XVI dispositionem affert. Offendit in narratione de Machaone vulnerato et ad naves abducto, quae alieno loco (504—521) inserta ad ea pertineat, quae finito de Agamemnonis strenue factis carmine perscripta sunt a v. 597: „Cohaerebant, nisi egregie fallor, in libro XI haec:

---

1) Opusc. V, p. 52—77. VI, p. 73—91.

496. ὣς ἔφεπε κλονέων πεδίον τότε φαίδιμος Αἴας,
δαΐζων ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας,
521. Κεβριόνης δὲ Τρῶας ὀρινομένους ἐνόησεν,

et quae sequuntur usque ad v. 596. in quo finis erat hujus carminis. — Alius carminis initium erat hoc:

498. Ἕκτωρ μέν ῥα μάχης ἐπ' ἀριστερὰ μάρνατο πάσης
ὀχθὰς παρ ποταμοῖο Σκαμάνδρου, τῇ ῥα μάλιστα
ἀνδρῶν πῖπτε κάρηνα, βοὴ δ' ἄσβεστος ὀρώρει,
Νέστορά τ' ἀμφὶ μέγαν, καὶ ἀρήϊον Ἰδομενῆα,
506. ἀμφί τ' ἀριστεύοντα Μαχάονα, ποιμένα λαῶν,
508. τῷ ῥα περίδδεισαν μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,
μήπως μιν πολέμοιο μετακλινθέντος ἕλοιεν,

et reliqua usque ad v. 520, quem excipiebant v. 618—643.“ Abstinuisset, credo, Hermannus ab isto judicio, nisi eum Wolfii de multis, in quae dissolvenda Ilias esset, carminibus sententia praeoccupasset. Recte judicasse non videtur. Neque enim intelligo, cur illa de Machaone narratio non eo loco potuerit inseri, quo nunc legimus, nisi quis causam inde repetit, quod praejudicata opinione simplicia quaedam carmina, soluta alia ab aliis neque ullo continuitatis vinculo inter se connexa antiquitus fuisse censet. Eam vero principii dicimus petitionem esse, quum, quicunque ab uno Homero hanc unam Iliadem paucis partibus exceptis compositam esse putamus, bene se habere dicamus, si superioribus nonnulla inseruntur, quae posterior narratio persequatur. Difficile utique erat, plures res a pluribus viris eodem tempore gestas apte disponere, fabulaeque simul continuitati prospicere. Quod si aliter perficere poëta non potuit, nisi ut omissis plerumque ceteris principibus in unius viri rebus exponendis versetur, cur tandem non licuit aliquando idoneo loco ad ceterorum res gestas respicere, vel animos ad ea advertere, quae mox sequerentur? Carmina si soluta compagine, alia ab aliis separata exstarent, qualia Wolfius aliique fuisse suspicati sunt, haberent illi, quo ad confirmandam suam sententiam egregie uterentur; nunc quum filo quodam pluribus carminibus intexto connectantur, quid causae est, cur tale, qualecunque est, artificium ab Homero alienum putemus, nisi illa praejudicata opinione ducimur? Quin etiam facile illis concederemus, quicunque dissolvendo alia, alia conjungendo scite nobis antiqua quaedam carmina restituerent, quae in hanc Iliadem ab Homero recepta et transformata putaremus. At eosdem par est monstrare, in quo argumento summa horum carminum posita fuerit; nisi enim aut vir unus, aut unum facinus ostendatur, in quo describendo totum illud carmen versetur, nemo nobis continuos aliquos versus unum carmen fuisse persuadebit. Sed, quae alia suae sententiae argumenta Hermannus exhibeat, videamus. „Vulneris, inquit, nulla cura; immo ne mentio quidem, nisi obiter v. 649 et v. 662. Neque vero infra XIV, 1—8 quidquam de vulnere nec XVI, 25—27 memoratur Machao in vulneratis.“ At mentionem tamen aliquam vulneris fieri etiam Hermannus ait, in quam partem ea quoque accipienda sunt, quae XIV, 6. 7 de calida dicuntur ad abluendum cruorem apparanda. Num praeter illam majore aliqua cura opus fuerit, ita nobis dubitare licebit, ut Hermanno suspicari. Quod l. XVI, vv. 25 sqq. in vulneratis Machao non recensetur, ejus rei causa in promptu est; non erat in

eorum numero, *ὅσοι πάρος ἦσαν ἄριστοι* (v. 23). [1]) Ceterum si vulnus non erat, quaenam alia causa fuerit, cur Machaonem a pugna Nestor reduceret, jure nostro ex Hermanno quaerimus. Non illa quidem idonea ratio est, quam novi carminis initio composito reddere videtur. Neque enim intelligimus, qui subito Achivos timor incesserit, ne Machao pugna inclinata a Trojanis caperetur. Atqui si neque vulneratus Machao erat, neque subiti timoris justa causa, unde quaeso repentinum Machaonis servandi consilium? Medici si vitae inprimis prospexerunt, quidni apud naves reliquerunt otiosum? Ea vero fortunae quaedam *εἰρωνεία* est, quod qui modo cum ceteris summis ducibus comparatus sit, idem aequo se animo a proelio abduci patitur. Sed ut panico illos terrore perculsos ad naves Machaonem misisse credas, cur Nestor comes additus? cur non solus, si salvus erat, pugnam reliquit? De v. XI, 662. ab Hermanno defenso, quanquam a probatissimis codd. abest, recte mihi Spitznerus judicasse videtur: „Hoc quidem verum reique consentaneum erit, si reliquae viri sagacissimi disputationi praebueris assensum. Ut res se nunc habet, vix abesse poterit suspicio, quin in alienum locum irruerit ille versus e libro XVI, 27.“ Nihil igitur fidei Hermanni sententiae ab eo versu accedit, qui ipse dubiae fidei est. Imo quod vel delere vel mutare cogitur, quae ejus sententiae repugnant (ut 664 *ἰῷ ἀπὸ νευρῆς βεβλημένον*), hanc rationem totam suspectam reddit. Sed ne efficitur quidem quidquam his verbis, ut H. vult, mutatis. Nestor enim quum vv. 660 sqq. dicat:

βέβληται μὲν ὁ Τυδείδης κρατερὸς Διομήδης,
οὐτασται δ' Ὀδυσεὺς δουρικλυτὸς ἠδ' Ἀγαμέμνων,
[βέβληται δὲ καὶ Εὐρύπυλος κατὰ μηρὸν ὀϊστῷ·]
τοῦτον δ' ἄλλον ἐγὼ νέον ἤγαγον ἐκ πολέμοιο,

non potest nisi vulneratis hunc alium accensere. — Alia causa offensionis in Patrocli cunctatione Hermanno posita est. „Confestim redire vult, ne irascatur non statim redeunti Achilles. At moratur eum Nestor oratione centum et duodequinquaginta versuum. Ubi se tandem proripuit, obvius ei fit claudicans ex vulnere Eurypylus, quem sustentans in tentorium deducit vulnerique medicamenta imponit.“ Non equidem Nestorem a senili quadam atque intempestiva loquacitate defendam; nimius est in laude memoriaque pristinae virtutis (I, 260—273. VII, 132—158. XXIII, 629—645). Cui loquacitati si quis hoc loco, quippe quo inepta sit, versibus 664 *αὐτὰρ Ἀχιλλεύς* usque ad v. 762. *αὐτὰρ Ἀχιλλεύς* deletis mederi velit, ego non repugnem. Hoc mirari non possum, quod Patroclo ad Achillem redeunti Eurypylus moram facit. An curationem idonea ratione petenti (XI, 828—836) negare licuit? Paullulum quum ille dubitasset, quid sibi faciendum esset, ne mandata Achillis neglexisse videretur, mox, quo erat honesto animo, ferendum esse Eurypylo auxilium intellexit (837—841). Cui si defuisset, ipse, credo, Achilles eum reprehendisset. Postremo, quid Achillis ingenio rebusque conveniat, parum videtur Hermannus cogitasse, si alienum hoc putat quum a rerum conditione tum ab Homero, qui nihil tam inepte commentatus sit, quod Achilles neque irascitur Patroclo sero redeunti, neque de Machaone quidquam ex eo sciscitatur. Ego vero mirarer, si Hermannus vere crederet nihil aliud Patroclo ad Nestorem misso Achillem spectasse, nisi ut de Machaone certior fieret. Qui vel paulum animum

1) In eandem fere sententiam Schol. Ven. omissum a Patroclo Machaonis nomen esse ait, *ἵνα μᾶλλον κινήσῃ παραλιπὼν τὰ ἐλάττονα.*

attendat, Graecorum videt calamitate Achillis animum commoveri, quamvis etiam tum a misericordia abhorreat (609. 10). Itaque Achilles quum Patroclum ideo misisset, ut qua conditione res Achivorum essent, cognosceret, etiamsi aliam causam simularet, quum praesertim vehementissime commotum Patroclum se adire videret, quid mirum si misericordia amici captus (v. 5), simul et quae causa esset afflicti animi divinans, Machaonis oblitus est? Mihi omnia ita consentanea videntur, ita ad indolem Achillis et ad tempora accommodata, ut aegre feram ea inepta vocari.

Unum reliquum est, quod H. de initio l. XIV. vv. 13—15 objicit: „Refert Nestor, prostratum esse murum, permixtosque Graecos Trojanis viritim pugnare. At id si stans ante tentorium suum suis oculis videt Nestor, videt etiam Agamemno, quique alii duces eum comitantur, ut nec quaestione opus sit, nec responsione. Apparet vero ex illo quem posui versu Agamemnonis (43), non ex tentorio, sed ex proelio venire Nestorem: sed quoniam, ut nostra in Iliade res dispositae sunt, in tentorio sedebat Nestor, mutari antiqui poëtae narrationem oportebat, quique apud illum ex pugna venerat, exire faciendus erat ex tentorio.“ Nestor (cfr. v. 8. εἴσομαι ἐς περιωπήν) eo loco constitit, unde quae belli fortuna esset, circumspicere posset. Qua cognita Agamemnonis conveniendi consilium cepit. In itinere quum esset, obvii facti sunt Agamemno, Diomedes, Ulysses, qui quoniam procul a pugna navium statio erat, naves, ut bellicas res spectarent, reliquerunt (vv. 30. 37). Quamobrem quum alio loco Nestor Agamemnoni ceterisque obviam factus esset, quam quo ante belli fortunam circumspexerat, non est, quod H. dicat „id si stans ante tentorium videt Nestor, videt etiam Agamemno.“ Id quoque apparet, Agamemnoni, qui Nestorem ex pugna decessisse nondum comperisset, jam vero eadem, quae ad proelium ferebat, via (v. 37) in eum incideret, nihil magis in promtu fuisse, quam de Nestoris ex proelio reditu cogitare.

Vidimus causam, cur haec interpolata haberemus, probabilem ab Hermanno nullam allatam esse.

Speciosiora ea sunt, quae de librorum XIII, XIV, XV compositione p. 63—67 dicuntur. In maximam enim illius offensionem sive Jupiter sive poëta incurrit, quod in principio libri XIII Jupiter neutri exercitui quenquam deorum opitulaturum credat, quum quae in principio l. VIII imperaverit, obliti sint homines, dii neglexerint. Itaque conjungenda esse censet l. VIII, vv. 1—51 cum l. XIII, v. 4 sqq. — De hominum oblivione in utramque partem disputari potest. Deos quidem memores esse eorum, quae pridie minatus esset, jure Jupiter putabat. Hoc quum ex Junonis Neptunique colloquiis (VIII, 205—211) novoque consilio, quod Juno et Minerva ineunt (v. 360 sq.) appareat, timuisse illas graviores aliquas Jovis comminationes, tum inde colligere licuit, quod, ubi primum Jupiter, ne consilium exsequerentur, Junonem et Minervam prohibuit (vv. 397—424), nihil amplius moliuntur, sed quamvis aegre otium ferant, tamen verecunde intra Olympicas domus se continent (XI, 74 sqq.). Neque enim, quod Juno Agamemnoni (VIII, 218), Diomedi Ulyssique Minerva (X, 509) consilio adest, ideo neglexisse Jovis imperium putandae sunt; ipsae enim, si proeliis adesse non liceret, at consilio se Achivos adjuturas professae erant (VIII, 35, 36). Quamobrem quum jam dicto obedientes essent, quidni idem de postero tempore sperare oculosque a rebus Trojanis avertere Jovi licuit (XIII, 8. 9)? Nam id quidem non vereor ne serio Hermannus objiciat, nullum omnino Achivos adjuvandi periculum Junonem et Minervam facturas fuisse, si Jupiter eas paullo ante Graecos adjuvare vetuisset. Aliam in hac parte Iliadis perversitatem H. reperit, quod „Jupiter, qui libro VIII dictus est in Olympum abisse, in principio XIII libri praeter exspectationem in Ida sedens conspicitur.“

Sed ea nulla est. Nam si quid praeter exspectationem Hermanno accidit, nihil poëtae crimini dandum. Jupiter enim XI, 183 in Idam montem revertitur, ibique versatur vv. 196. 337 XII, 253. — Hermanno auctore si cum l. XIII, 4 sqq. conjungere velis l. VIII, 1—51, quid reliqua hujus libri? Tam apte cum superioribus, quae sequuntur, connexa sunt, ut qui de Homero misere discerpto conqueratur, ipse quam maxime discerpat, quae aptissime sese excipiunt. Nemo erit, qui non l. VIII, vv. 1—51 optime cohaerere sentiat cum vv. 53 sqq. 66 sqq. Jupiter enim, quum majore clade Graecos affligere vellet, ceteros deos alterutri parti auxilium ferre vetat, ipse, ut e propinquo fortunam belli gubernaret, Idam petit, unde quum Achivorum Trojanorumque res oculis perlustrasset vidissetque illos aequo Marte pugnantes, Graecorum res inclinat. Fac tale aliquod carmen habeamus, quale restituisse sibi H. visus est, compositum ex libri VIII, vv. 1—51 et l. XIII, vv. 4 sqq., quam quaeso causam Jupiter habuit, cur Idam peteret? Scilicet ut Thraciam aliasque regiones circumspiceret, a Troja animum oculosque averteret XIII, 7 cfr. 3. Aliam enim causam frustra quaerimus. „Permirum vero, inquit H., ac profecto ei, qui antiquam poësin non obiter cognoverit, vix credibile videri debet, quod multo demum post, in XIV. v. 153 etiam Junoni in mentem venit, illa Jovis alio aversi opportunitate uti, atque ipsam quoque aliquid ad salutem Graecorum contribuere: tantoque id magis mirum accidere oportet, quod etiam quae de illa narrantur ornatissime sunt et copiosissime explicata; quumque fiant eo consilio, ut quam maxima cum securitate adjuvare laborantes possit Neptunus, ipsis etiam verbis produnt cui loco conveniant. Nam ubi XIII, 38 de Neptuno dictum est: *ὁ δ' ἐς στρατὸν ᾧχετ' Ἀχαιῶν·* ibi illa sequi debebant XIV, 153 *Ἥρη δ' εἰσεῖδεν κ. τ. λ.* Temporis spatia si computemus, quae inter Neptunum auxilio Achivis advenientem et a Junone conspectum esse finguntur, admodum minuitur illud: „multo demum post.“ Ceterum quoniam dii ea videre creduntur, in quae forte oculos adverterunt (XIII, 7 coll. c. reliquis, XIV, 153), multaque, quae deorum Homericorum natura est, fortuito eveniunt, frustra aliquis quaerat, cur sero Neptunum Juno conspexerit. Quod Hermannus cum XIII, 38. XIV, 153 sqq. nos connectere jubet, id minus scite facit. Nam quum advenisset modo Neptunus XIII, 38, qua ratione nulla dum re gesta Juno eum vidit *ποιπνύοντα μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν*? „Intexendum, H. inquit, Iliadi erat carmen, in quo et Neptunus suppetias fert Graecis et vigilat Jupiter. Illud, quod dixi carmen, in quo et adest Neptunus et Jupiter vigilat, legitur XIII, v. 345—673. Ejus ipsum statim initium quid statuendum sit docet. — Nec Jovi haec (345—352) conveniunt, qui seposita belli Trojani cura in Gargaro sedebat, nec Neptuno, qui post splendidissimum illud iter, quod initio l. XIII descriptum est, non poterat dici clam e mari emersisse.“ Curam belli Trojani Jupiter seposuerat, quod ubi primum Trojanis victoriam dedit, Hectorque a Jove incitatus (XI, 185 sqq. 288 sq. XII, 252 sqq.) Achivos intra murum compulit, ipsos Trojanos suis viribus satis valere putabat ad ea consequenda, quae illis concesserat (VIII, 474 sqq. XI, 192 sq. XV, 599 sqq.), neque XIII, 347 aliud auxilium significatur, nisi voluntas Trojanis propitia. — Non convenire Neptuno H. ait, quod post splendidum iter clam e mari emergat. At si sopito demum Jove Juno illum per Somnum nuncium adhortatur:

πρόφρων νῦν Δαναοῖσι Ποσείδαον ἐπάμυνε,
καί σφιν κῦδος ὄπαζε μίννυθά περ, ὄφρ' ἔτι εὕδει
Ζεύς·

nonne auxilium ante clam ferendum erat? An splendido illo ornatu inter Achivos licuit conspicuum esse, scilicet quo magis Jovis in se converteret oculos? Sed fac illum divina majestate in Achivorum exercitu apparuisse, num eundem, qui diserte illa enarravit 17 sqq., tacuisse putamus de Achivorum admiratione? Cujus nulla mentio est in eo carmine, quod H. composuit. — Levius etiam id est, quod quum Ἰλιόθι πρὸ pugnari dicatur XIII, 349, indicium id esse affirmat, „totam illam pugnam, quae istis versibus contineatur, non pertinere ad ἐπὶ νανσὶ μάχην, sed ad eas quae vocantur ἐν πεδίῳ. Id quum ex eo apparet, quod nec muri nec navium ulla mentio fit, praeter hos duos locos v. 620 et v. 668 ipsa dicendi forma suspecto, quorum facile conjici potest in altero νέας pro μάχην, in altero νηυσὶν pro λαῷ esse novatum, tum singulorum demonstrant factorum descriptiones ipsa rerum gestarum conditione naturaque.“ Haec vero vis est, si quis remotis, qui contraria testantur, testibus contrariae sententiae testes nullos adesse ait. Illo οὐδέ τι πάμπαν ἤθελε λαὸν ὀλέσθαι Ἀχαιϊκὸν Ἰλιόθι πρό non proprie eam pugnam, quae tum erat, sed quaecunque eo tempore ante Trojam proelia committebantur, significari inde colligere possumus, quod Jupiter κυδαίνων Ἀχιλῆα traditur Graecos clade afficere. De qua re etiam si quis dubitare velit, hoc saltem eum concessurum spero, non ita ampla spatia inter naves Trojamque fuisse, quin, quicquid illo bello gereretur, dici possit ante Trojam geri. Exempla habes Il. VIII, 561. Od. VIII, 581. — Carmen illud de Neptuno Graecis auxilium ferente num forte a majoribus traditum accepisse Homerum Iliadique intexuisse credamus? At versus 348—350 nisi quis delere velit, ad iram Achillis ipsiusque Iliadis fabulam pertinere statim intelligimus. „Eo carmine exempto, H. inquit, jam recte cohaerere XIII, 344 cum v. 674 sqq. et rerum ordo ostendit, et ipse poëta declarat. Nam Idomeneus ubi cum Merione deliberat qua parte succurrant suis, — v. 326 dicit: νῶϊν δ' ὧδ' ἐπ' ἀριστερ' ἔχε στρατοῦ· Itaque illuc se convertunt, vehementerque premunt Trojanos, quod describitur usque ad v. 344.“ Nihil apud Homerum inde a v. 326 usque ad v. 344 de Idomeneo et Merione Trojanos prementibus. Proelium ab utrisque acerrimum committitur 330—344; nihil amplius. Sed exspectamus post tale exordium majora aliqua in hac parte pugnae facinora. Fallimur, si v. 344 excipiatur versu 674. At quanam ratione recte dici potuit:

οὐδέ τι ἤδη
ὅττι ῥά οἱ νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ δηιόωντο
λαοὶ ὑπ' Ἀργείων·

ubi nihil de Trojanis in sinistra acie caesis relatum erat?

Omitto, quae Hermannus, ut causam afferret „ex qua ortae essent istae interpolationes miraeque partium trajectiones et connexiones“ verba fecit; nam ea quidem interpolationum vestigia, quae H. exhibuit, nulla esse constat. Imo, quae Hermanno luxata, discerpta, inter se pugnantia videntur, ea ut nunc sunt, multo aptius connexa esse, quam qua nova arte Hermannus composuit, satis me credo aequo animo judicantibus persuasisse.

Nachrichten

über

das evangelisch-theologische Seminar zu Maulbronn.

Nach dem rühmlichen Vorgange der Seminarien Schönthal, Blaubeuren, Urach dürften die Leser dieses Programms vielleicht erwarten, den Nachrichten über den gegenwärtigen Bestand der hiesigen Anstalt eine kurze Geschichte ihrer früheren Schicksale, oder auch eine übersichtliche Schilderung der gegenwärtigen Organisation der niederen Seminarien vorangestellt zu sehen. Verschiedene Gründe indessen halten mich ab, diesem Vorgange zu folgen. Was die frühere Geschichte des Klosters Maulbronn betrifft, in welcher die allmälige Umwandlung katholischer Klöster in protestantische, dann in Klosterschulen, endlich in Seminarien in ununterbrochenem Fortschritte sich darstellt, so verdient dieselbe nicht nur ein eigenes, gründliches Studium, sondern auch eine ausführlichere Darstellung, als diese Blätter zu geben vermöchten. Es konnte dieselbe aber hier um so mehr übergangen werden, als wir der Veröffentlichung einer besonderen Geschichte des hiesigen Klosters entgegensehen dürfen, zu welcher von andrer Seite die nöthigen Vorbereitungen getroffen sind. Hinwiederum ist die allgemeine Geschichte der württembergischen Klosterschulen und eine Schilderung der gegenwärtigen Organisation der niederen Seminarien nicht nur in den Nachrichten der früheren Seminar-Programme mitenthalten, sondern auch Gegenstand besonderer Behandlung gewesen in der Schrift: die ehemaligen Klosterschulen und die jetzigen niederen evangelischen Seminarien von C. G. Wunderlich, im Vereine mit den Professoren Hauff und Klaiber 1833, ferner in einem Aufsatze der Zeitschrift: Schwaben, wie es war und ist, 1842. S. 106—134, neuerdings in der von meinem Kollegen, Professor Hirzel herausgegebenen Sammlung der württembergischen Schulgesetze. Zweite Abth. 1847. Einleitung XXVI—XLIX.

Das gegenwärtige Lehrerpersonal besteht aus:

Ephorus W. F. L. Bäumlein, 1820 Diaconus und Präceptor zu Langenburg, 1827 Professor an der lateinischen Schule zu Biberach, 1835 Professor am oberen Gymnasium zu Heilbronn, 1840 am Seminar zu Maulbronn, 1845 Ephorus an demselben Seminar.

Professor C. Chr. Fr. Hirzel, 1834 Repetent am theologischen Seminar zu Tübingen, 1835 Rektor der lateinischen Schule zu Nürtingen, 1845 Professor am Seminar zu Maulbronn.

Professor Ed. C. Pfleiderer, 1835 Lehrer an der Erziehungsanstalt zu Stetten, 1843 Professor an der V. Klasse des Gymnasiums zu Heilbronn, 1845 Professor am Seminar zu Maulbronn.

Repetent W. List, seit dem Mai 1843.

Repetent Dr. Jul. Rieckher, seit dem Julius 1846.

Im Herbst 1843 traten in das Seminar folgende Zöglinge:

1) Als Seminaristen:

Namen.	geboren	in	Vater.
Joh. Wilh. Philipp Ammon .	6. Okt. 1829	Amlishagen	† Pfarrer zu Hengstfeld
Chr. Ed. Ad. Baumann . .	5. Decbr. 1829	Oeschingen	Pfarrer zu Weissach
Otto Heinr. Bärlin	15. April 1829	Tübingen	† Präceptor daselbst.
Gottl. Rud. K. Traugott Deck.	27. Jan. 1829	Ellwangen	Oberamtspfleger daselbst.
Chr. Heinr. Dillmann . . .	30. Decbr. 1829	Illingen	Schullehrer daselbst.
Johannes Ehinger	26. Okt. 1829	Balingen	Secklermeister daselbst.
Wilh. Chr. Heinr. Eidenbenz	9. Jan. 1830	Ellwangen	† Stadtpfarrer und Professor daselbst.
Chr. Theodor Gess	25. Decbr. 1829	Kirchheim	† Generalsuperintendent zu Heilbronn.
K. Fr. Konstantin Grunsky .	30. Aug. 1829	Maichingen	Pfarrer zu Ensingen.
Ernst Gundert.	10. März 1830	Stuttgart	Kaufmann daselbst.
Rud. Haldenwang	5. Nov. 1829	Buttenhausen	Pfarrer daselbst.
Gottl. Emil Halder	6 Jan. 1830	Ulm	Hauptzollamtscontroleur in Canstatt.
Alwin Heinr. Hauff	24. Febr. 1829	Schönthal	Stadtpfarrer in Waldenbuch.
Chr. Ferd. Gottl. Hochstetter	30. April 1829	Esslingen	Stadtpfarrer und Professor daselbst.
Sixt Franz Alex. Kapff . . .	12. Aug. 1829	Münsingen	Oberamtsrichter daselbst
Joh. Georg Wilh. Köhn. . .	26. Aug. 1829	Kirchberg	Stadtpfleger daselbst.
Theodor Lessing.	15. Febr. 1829	Leutkirch	† Oberamtswundarzt daselbst.
Ernst Wilh. Mehl.	2. Nov. 1829	Stetten	Revierförster in Einsiedel.
Aug. K. Ed. Mörike. . . .	6. Juli 1829	Scheer	vorm. Amtmann daselbst.
Gottl. Ad. Necker	24. März 1829	Nagold	† Pfarrer in Neuhaus.
Joh. Ernst Wilh. Osiander .	18. Septbr. 1829	Maulbronn	Dekan in Göppingen.

Namen.	geboren	in	Vater.
Eugen Herm. Reinhardt . .	21. Juli 1829	Pflugfelden	† Pfarrer daselbst.
K. Chr. Sautter	19. Jan. 1829	Tübingen	Schneidermeister daselbst.
Wilh. Aug. Schmid	31. Mai 1829	Obertürkheim	Pfarr. in Untertürkheim.
Theod. Gottl. Schumann . .	30. Jan. 1830	Esslingen	Diaconus daselbst.
Aug. K. Wilh. Schwarzkopf	10. Mai 1829	Aalen	Oberamtspfleg. daselbst.
Ernst Fr. Emil. Schweizer .	26. April 1829	Obersontheim	Arzt in Mössingen.
Adolf Stockmayer	30. Aug. 1829	Stuttgart	Oberamtmann in Backnang.
Wilh. Robert Teichmann . .	8. Mai 1829	Backnang	Oberamtspfleg. daselbst.
Christ. David Fr. Weinland .	30. Aug. 1829	Grabenstetten	Pfarrer daselbst.

Von diesen Seminaristen ward Schweizer durch Dekret vom 8. Mai wegen Krankheit aus dem Seminar entlassen.

2) Als Hospites:

Theod. Wilh. Gottl. Denk . .	4. Okt. 1828	Deckenpfrond	Pfarrer daselbst.
Paul Otto Gmelin	22. Nov. 1829	Rottenburg	Kreisgefängnissverwalter daselbst.
Heinr. Ad. Herrmann . . .	10. Decbr. 1829	Metzingen	Gerichtsnotar in Nürtingen.
Ludw. Aug. Theod. Knapp. .	9. Febr. 1830	Kayh	Pfarrer in Dettingen.
Chr. Imman. Fr. Lechler . .	14. Decbr. 1828	Unterweissach	Pfarrer in Uihingen.
Theod. v. Misani	11. Jan. 1829	Gr. Sachsenheim	† Generalmaj. daselbst.
Wilh. Ludw. Rapp	20. Decbr. 1828	Schorndorf	Dekan in Böblingen.
Karl Aug. Rettich	14. April 1829	Freudenthal	† Revierförster in Feuerbach.
K. Fr. Theod. Schübelin . .	12. Septbr. 1829	Schützingen	Schullehrer in Horrheim.
Fr. Amand. Stockmayer . .	26. Okt. 1829	Lichtenfeld	Domänenpächter daselbst.
Eugen Stockmayer. . . .	19. Febr. 1828	Stuttgart	Oberamtmann in Marbach.

Zu diesen wurden im Mai 1845 weiter als Hospites aufgenommen:

Karl v. Diemar	14. Mai 1829	Walldorf b. Meiningen	Gutsbesitzer in Mergentheim.
Friedr. Ludw. Gess	21. Decbr. 1828	Ellwangen	† Oberamtsrichter in Nürtingen.
Theod. Tafel	16. Septbr. 1828	Ingelfingen	Rechtskonsulent in Oehringen.

Von diesen Hospites sind, weil sie die akademische Laufbahn aufgaben, Am. Stockmayer im Frühjahr 1844, Schübelin im Herbst 1844, Lechler im Januar 1846 aus dem

Seminar ausgetreten. Denk ward im Herbst 1846 in das theologische Seminar zu Tübingen aufgenommen. Zum Besuche der Universität wurden legitimirt im Herbst 1846: Gess und von Misani; im Früjahr 1847 von Diemar und Tafel. Eugen Stockmayer trat im Herbst 1846 in das Gymnasium zu Heilbronn über.

Alle übrigen Zöglinge verlassen die Anstalt diesen Herbst.

Lehrplan für den Cursus von 1847—1851,

nach dem durch den Königl. Studienrath genehmigten Entwurf der Lehrer.

I. Lateinische Sprache. Von Dichtern wird die beiden ersten Jahre Virgil, die beiden letzten Horaz gelesen; neben diesen von Prosaikern in den beiden ersten Semestern Livius, im dritten Semester Sallust, im vierten die auserlesenen Reden Cicero's, im fünften dessen auserlesene Briefe, hierauf Tacitus' kleinere Schriften, vom sechsten bis achten Semester endlich neben einander Cicero's philosophische Schriften und die grösseren Schriften des Tacitus.

Bei dieser Anordnung sind die Lehrer von der Ueberzeugung ausgegangen, dass Zersplitterung durch gleichzeitiges Lesen mehrerer Schriftsteller möglichst zu vermeiden sei; sie glaubten jedoch diesen Grundsatz nicht so weit ausdehnen zu dürfen, dass je nur ein Dichter mit Ausschluss der Prosaiker, oder ein Prosaiker mit Ausschluss der Dichter zu lesen wäre. Vielmehr schien es, um auch bei verschiedener Neigung das Interesse für die lateinische Literatur rege zu erhalten, angemessen, immer Dichter und Prosaiker neben einander zu stellen. In der gleichen Rücksicht hielten sie es für zweckmässig, in den letzten Semestern neben den philosophischen Schriften Cicero's, welche als Vorbereitung auf die philosophischen Studien nicht zu vermeiden sind, auch Tacitus aufzunehmen. — Zu obigem Unterrichte kommt dann durch alle vier Jahre die wöchentliche Ausarbeitung einer schriftlichen Composition (Hebdomadar), deren Censur in öffentlicher Lektion stattfindet, so wie eine Exception, d. h. die unmittelbar lateinisch niederzuschreibende Uebersetzung eines diktirten deutschen Thema's. Endlich ist für das erste Jahr ein besonderer, in Abtheilungen zu gebender Unterricht in der Prosodik und Metrik mit den nöthigen Uebungen angeordnet.

II. Im Griechischen ist für die drei ersten Jahre Homer, für das letzte Sophokles bestimmt. Von Homer soll zuerst die Ilias, etwa bis zum zehnten Gesang, dann die Odyssee, letztere vollständig, gelesen werden. Von Prosaikern sind für das erste Jahr Xenophon's Cyropädie, für das zweite Herodot, für das dritte und vierte Demosthenes und Plato bezeichnet. Schriftliche Compositionen, Hebdomadarien (je in der zweiten Woche) und Exceptionen finden wie im Lateinischen durch alle vier Jahre statt. Ausserdem wird in den beiden ersten Jahren ein grammatischer Unterricht ertheilt, welcher zunächst die Repetition der Formenlehre zum Zweck hat, dann aber in die Syntax des griechischen Verbums einführen soll.

III. Der Unterricht im Hebräischen, welcher in Gemässheit des Erlasses vom 29. April 1841, mit Ausnahme der ersten Leseübungen, im Seminar zu beginnen hat, muss, da die einen Zöglinge mit einigen Kenntnissen, die andern ohne solche eintreten, zuerst in Abtheilungen gegeben werden. Es wechselt anfänglich, wie das Bedürfniss es erheischt, der grammatische Unterricht mit schriftlichen und mündlichen Compositionen nach Brückner's praktischem Hülfsbuch zur methodischen Einübung der hebräischen Grammatik, woran sich dann, sobald die hinreichenden Kenntnisse vorhanden sind, die Exposition auserwählter Stücke des A. T. anschliesst. Weiterhin sind zur Exposition für die beiden ersten Jahre, jedoch mit Auswahl der geeigneten Theile, bestimmt: Genesis, Exodus, Josua, Richter, vollständig sollen dann die beiden Bücher Samuels gelesen werden. Die zwei letzten Jahre sind für die Psalmen, einen Theil der Proverbien und eine Auswahl aus den prophetischen Schriften vorbehalten. Compositionen finden durch alle vier Jahre statt; das Hebdomadar wird je in der zweiten Woche, mit dem griechischen abwechselnd, diktirt. So lange indessen die Kenntnisse zu dieser selbständigeren Ausarbeitung nicht zureichen, treten an deren Stelle mündliche Uebungen unter Leitung des Lehrers.

IV. Der Unterricht im Französischen beginnt, da manche Zöglinge ohne Kenntniss dieser Sprache in das Seminar treten, mit den Anfangsgründen, und wird darum zuerst in Abtheilungen gegeben. Um jedoch nicht zu gleicher Zeit mit zwei Sprachen zu beginnen, wird erst in dem zweiten Semester mit dem Französischen angefangen. Zu Lehrbüchern dienen die Grammatik von Eisenmann und die Chrestomathie von Wildermuth und Gruner. Es wechseln, wie das Bedürfniss es mit sich bringen wird, mündliche und schriftliche Compositionen mit Expositionen.

V. Der Unterricht in der deutschen Sprache ist theils theoretisch, theils praktisch. Ersterer besteht in einer Geschichte der deutschen Literatur, mit welcher ein historisch grammatischer Unterricht über das Gothische, Alt- und Mittelhochdeutsche verbunden ist. Der praktische Unterricht besteht, und zwar den ganzen vierjährigen Cursus hindurch, theils in Deklamationsübungen, theils in Ausarbeitung von Aufsätzen. Mit Beiden sind freie Redeübungen verbunden. Es werden nämlich in der zu den Declamationsübungen bestimmten Stunde auch kürzere oder längere Abschnitte von verschiedenem, anfänglich mehr historischem, später mehr wissenschaftlichem Inhalt vorgelesen, um dann von den Zöglingen in freier Rede wiederholt zu werden. Zu selbständigerem Vortrag dienen die Themen der Aufsätze. Nachdem nämlich letztere von dem betreffenden Lehrer corrigirt, mit den Einzelnen durchgegangen und zuletzt im Allgemeinen öffentlich beurtheilt sind, werden in einer hiefür besonders auszusetzenden Stunde verschiedene Zöglinge aufgefordert, einzelne Theile des Thema's in freier Rede auszuführen. Ausserdem bieten auch verschiedene Unterrichtsfächer Stoff zu zusammenhängenderem Vortrag über irgend einen bereits erörterten Gegenstand. Endlich werden, wenn auch nicht gleich im ersten Jahre, zweimal des Jahres, an dem Geburtsfest Sr. Majestät des Königs und am Neujahr vor einem grösseren Auditorium von vier Zöglingen theils deutsche, theils lateinische Reden gehalten.

VI. Der Religionsunterricht gibt zuerst eine Geschichte des alten Bundes nach seinen Hauptmomenten, unter welchen die Mosaische Gesetzgebung eine genauere Darlegung ihrer wichtigeren Bestimmungen erfordert. Hieran schliesst sich die Einleitung in

die biblischen Schriften des alten, dann des neuen Bundes. Bei dem einen wie bei dem andern sollen nicht nur die Fragen, welche die Form der Schriften, Plan, Charakter, Abfassungszeit, Verfasser betreffen, soweit es nach dem Standpunkt der Zöglinge angemessen erscheint, beachtet, sondern namentlich auch, um eine gründliche Bibelkenntniss zu befördern, der Inhalt ausführlicher oder übersichtlicher dargelegt werden. Daran reihen sich im dritten und vierten Jahre die christliche Glaubens- und Sittenlehre, welche mit einer Belehrung über Zweck und Bedeutung der akademischen Studienzeit schliesst. Die Gründe, welche vorläufig zu Beseitigung der Kirchengeschichte bestimmten, liegen in der Erwägung, dass die wichtigeren äusseren Epochen derselben von der allgemeinen Geschichte zu erwähnen sind, die innere Entwicklung der Kirche aber in ihren Spaltungen und Umgestaltungen ohne Rücksicht auf die Entwicklung der Dogmen nicht dargelegt werden könnte. Diese ist dem theologischen Studium vorzubehalten. Denn weder darf die Glaubenslehre bei dieser Altersstufe in eine subtilere Erörterung der bei jedem Dogma erhobenen Fragen eingehen, noch könnten ohne vorausgegangene Erörterung dieser Art die verschiedenen nach und nach hervortretenden Lehrmeinungen richtig gewürdigt werden oder belehrend und von Interesse seyn.

Zu dem Religionsunterricht gehört auch die durch alle vier Jahre hindurch gehende Erklärung des Neuen Testaments. Es werden zunächst zwei Evangelien, das des Lukas, dann das des Johannes, hierauf die Apostelgeschichte, nach derselben die katholischen Briefe, endlich die leichteren Paulinischen Briefe gelesen.

VII. Der Geschichtsunterricht beendigt in drei Jahren die allgemeine Geschichte; das letzte Jahr ist der Repetition der allgemeinen Geschichte und der württembergischen Geschichte gewidmet.

VIII. Der Unterricht in der Mathematik, welcher aus den gleichen Gründen, wie der hebräische und französische Unterricht, anfänglich, vielleicht auch späterhin, in Abtheilungen gegeben werden muss, wird Arithmetik und ebene Geometrie bis ins fünfte Semester abwechselnd behandeln, daran wird sich vom fünften Semester an Stereometrie und ebene Trigonometrie anschliessen.

IX. Der geographische Unterricht hat entweder die mathematische und physikalische oder die politische Geographie zum Gegenstand. Da letztere als Schlussstein der Geschichte zu betrachten ist, so wird sie im siebenten und achten Semester nach beendigtem Unterricht in der allgemeinen Geschichte vorgetragen werden. Ihr geht im sechsten und zu Anfang des siebenten Semesters die mathematische und allgemeine physikalische Geographie voraus. Die physische Beschaffenheit der einzelnen Länder darzulegen bleibt der politischen Geographie vorbehalten.

X. An die physikalische Geographie schliesst sich im letzten Semester der Unterricht in der Physik an.

XI. Der philologische Unterricht, auf Psychologie und Logik beschränkt, ist dem sechsten bis achten Semester zugetheilt.

Hiezu kommt der von Schullehrer Straub, als Musiklehrer des Seminars, ertheilte Unterricht in Gesang und Instrumentalmusik.

Turnübungen finden bei geeigneter Witterung Sommers und Winters, im Freien oder in den Räumen des Seminars, unter Leitung eines Repetenten statt.

Für das nächste Wintersemester ist für die einzelnen Fächer folgende Stundenzahl ausgesetzt:

I. Lateinische Sprache:	Virgil	wöchentlich	2	Stunden
	Livius	„	6	„
	Prosodik und Metrik	„	1	„ für jede Abtheilung.
	Exception	„	1	„
	Hebdomadar	„	1	„
II. Griechische Sprache:	Homers Iliade	„	2	„
	Cyropädie	„	$3^1/_2$	„
	Grammatik und Exception	„	$1^1/_2$	„
	Hebdomadar je in der 2. Woche		1	„
III. Hebräische Sprache:	mit jeder Abtheilung	wöchentlich	3	„
	Hebdomadar, je in der 2. Woche		1	„
IV. Declamation und Redeübungen		wöchentlich	1	Stunde
V. Religion		„	2	„
VI. Neues Testament		„	1	„
VII. Geschichte		„	3	„
VIII. Mathematik		„	3	„
IX. Gesang	im Ganzen . . .	„	3	„
X. Instrumentalmusik	im Ganzen . . .	„	5	„

Die Unterrichtsfächer sind in folgender Weise unter das Lehrerpersonal vertheilt:

Ephorus Bäumlein hat den Unterricht in der Religion und der griechischen Sprache.

Professor Hirzel den der lateinischen und französischen Sprache, der Geschichte der deutschen Literatur, der allgemeinen Geschichte und der politischen Geographie.

Prof. Pfleiderer den Unterricht im Hebräischen, der Mathematik und Physik mit Einschluss der mathematischen und physikalischen Geographie.

Von den beiden Repetenten hat

der eine den lateinischen Dichter, sammt Prosodik und Metrik,

der andre die Leitung der Declamations- und Redeübungen, sammt der Correctur der deutschen Aufsätze, sowie die Aufsicht der Turnübungen zu übernehmen.

In Beziehung auf die Privatstudien gehen die Lehrer von dem Grundsatz aus, dieselben einerseits unter der Voraussetzung, dass dadurch den öffentlichen Leistungen kein Eintrag geschieht, dringend zu empfehlen, andrerseits aber die Wahl derselben möglichst der eigenen Neigung der Zöglinge zu überlassen, und durch ihren Rath nur eine unpassende Wahl auszuschliessen, sowie darauf zu sehen, dass die Zöglinge Dasjenige privatim betreiben, worin sie

vorzugsweise schwach sind. Wenn es darum der eigenen Vorliebe der Zöglinge anheimgestellt bleibt, ob dieselben die von den öffentlichen Arbeiten übrige Zeit mehr dem Studium einer Wissenschaft, der Mathematik, Geschichte u. s. w. oder mehr sprachlichen Studien zuwenden wollen, so sehen die Lehrer doch darauf, dass das Privatstudium sich zweckmässig an die öffentlichen Lektionen anschliesse und durch diese vorbereitet sei.

So eignet sich im Griechischen neben der in den Lehrplan aufgenommenen Cyropädie die Anabasis wegen der trefflichen Bearbeitung von Krüger vorzüglich für das Privatstudium. Ferner werden, nachdem etwa die Hälfte der Iliade öffentlich behandelt ward, die übrigen Gesänge dem Privatstudium überlassen. Gleich der Anabasis und aus denselben Gründen lässt sich Thucydides dem Privatstudium vorbehalten, da von ihm eine für den Gebrauch der Schüler empfehlenswerthe Ausgabe von Krüger begonnen ist. Ausserdem werden Demosthenes, Plato, Sophokles, nachdem sie öffentlich erklärt worden sind, den Freunden der griechischen Sprache zu weiterem Privatstudium empfohlen.

Maulbronn, den 17. August 1847.

Ephorus **Bäumlein.**